



883

L MSS. St. B.

P

POËTAE POLON.


~~N. Poet 1165~~

E. XII. 53

Biblioteka Jagiellońska



stdr0004476



883

XVII. 3. 25

Autor ist Gleissenberg  
Wingeli



883 I

B  
S  
I

M.  
U.

Typ

BOLESLAUS II.  
Rex Poloniarum,  
S. STANISLAI

Episcopi & Martyris

Cracoviensis,

883.I

O C C I S O R ,

sua exemplari pœnitentiâ,

*Quam*

Ossiaci in Carinthia egit,

IN POLONIAM

prævia applicatione

M. STANISLAI de Golanka GOLANSKI,

U. J. Doctoris, Prothonotarij Apostolici, Canonici L.

Officialis Becensis, in Brzostek Præpositi;



R E D V X .

---

CRACOVIAE,

Typis Collegij Majoris Universitatis, 1735.



Stemmata qua Specias totum funduntur in Orbem  
Conjungunt terras et simul atra sibi  
Princeps TANISIUS KORIBUS etiamque Senator  
Grandevius meritis Notus utriq. solo

CELSISSIMO PRINCIPI  
ILLUSTRISSIMO & EXCELLEN-  
TISSIMO DOMINO,

D. JANUSSIO  
KORYBUTH,  
DUCI in Wiśniowiec & Zbaraz,  
CASTELLANO Cracoviensi;  
Cremensi, Parczoviensi, Neotargovi-  
ensi, Osięcensi, &c. &c.

CAPITANEO.

Benefactori meo Gratosissimo.

 Pus, quod Nominis honoriq; ILLUSTRISSIMÆ CELSITU-  
DINIS VESTRÆ, submissa ve-  
neratione dedico, peregrinum est, & simul  
domesticum. BOLESLAUS 2dus pro do-  
A me-

mestico haberri debet, qui dum Rex Polo.  
niæ fuit, digna Rege, pro Domo Patriæ  
gessit; multarum victiarum Author, se i-  
psum vincere nesciens, in Antistitem STA-  
NISLAUM manus injecit, illū vitā, se Re-  
gnō privavit. A Patria & solio peregrini-  
num agens, Romam petijt, sed non sine alta  
Superum lege in Carinthiam venit, interq;  
Religiosas Benedictinorum Aedes reliquum  
vitæ terminavit. Annos ante duos quan-  
do Sacra Apostolorum visitavi limina, eti-  
am me præter alia Regna & Provincias, a-  
mor Benedictinæ Religionis, cuius favoribus  
glorior, in Carinthiam traxit. Mausoleum  
ibi BOLESLAI 2di sumptu verè Regio  
Magnificum vidi, & quæ genuina de hoc  
Rege historio, Reverendissimus Virgilius  
Gleissenbergius ex Ordine S. Benedicti Ab-  
bas Ossiacensis excerptum ex Annalibus di-  
eti

Eti Conventus, sui affectius tesseram in manus meas consignavit. Erat mihi gloriæ Celsitudini Vestræ inter alios discursus de hoc loco in quo BOLESLAUS pœnitentiam egit, narrare, ejusq; Historiæ annotationem præsentare. Hæc Celsitudini Vestræ ab argu-  
mento materiæ, quia placuit illam ne a-  
pus me privata solum esset Typis evulgan-  
dam in publicum curavi, tantoq; magis illam publicam facio, quanto reverentiūs Illi Nomen Celsitudinis Vestræ præpono.  
Quid enim in Celsitudine Vesta non ad publicum bonum ? quid ipsi non æmulum soli ? Celsissima Genesi per Cæsarum, Re-  
gum, Ducumq; prosapias Orbem vix non totum serenas; etiam cœlorum è Fraterno Jagellonum sanguine in D. Casimiro. Pul-  
chrum est ad Nominis Tui famam ; quod DEMETRIUS KORYBUTH Severiæ

Dux quartus Germanus Jagellonis Frater  
ex Principissa Tverensi propinqua Basilijs  
Cari Sorore ex magna Vlodimiriana Gente  
descendente tres filios procreavit. Primum  
**SIGISMUNDUM** Electum Bohemiæ fata  
sua claudentem. Secundum **THEODO-  
RUM**; à quo genus Tuum trahis. Tertium  
**ANDREAM** ex quo Inclytæ in Rhyphea  
Sarmatia, **TRUBECCIORUM** & **GAL-  
LICZYNORUM**, aliarumq; prosapiarum  
Ducales profluxere Mitræ. Sed non tan-  
tum ex Tverensi Pulcheria Colligato Mo-  
schovitico folio sparsisti lumina, à qua omnes  
**KORYBUTHI**, sed vix emenso sæ-  
culo nonne adoravit Septemtrio unam ex  
Emeritissima imo Celsissima **MNISCHO-  
RUM** Domo Demetrio despontatam Gem-  
mam, alteram **VISNIOVIECCIO** Pala-  
tino Russiæ; à centum & amplius Annis  
vel

vel *VISNIOVIECCIA* alicui *M N I-*  
*SCHORUM* Heroi, vel *MNISCHOVIA*  
*VISNIOVIECCIO* æterno ligatur amore,  
sicuti non ita pridem Ursula Constantino Pa-  
latino protunc Braclavensi Parenti Tuo  
digna Germana Amitta, Magni Nomine &  
re Scipionis Sarmatiae; eò majori in opinio-  
ne sanctitatis conspicua splendore, quo majori  
fulgebat pietate. Ipse ego oculis meis  
incorruptum ejus corpus, domicilium quon-  
dam sanctæ animæ spectavi, multiq; supra  
ipsius tumbam sœpissimè vident promana-  
tia è sepulchro lumina, variasq; in oris Of-  
ficialatus mei scilicet Zmigrodij, ubi hæ e-  
xuviae pientissimæ Matronarum, requiescunt  
in Parochiali Ecclesia, experiuntur gratias.  
Ex hac prudentissima Matronarum Ursu-  
la & digno Constantino qui delicum po-  
puli, Pater legionum vocabatur, sine fuso

Et ullo ambitu verus Civis Patriæ, unica  
procreata Filia Francisca Inclytæ antiquissi-  
mæq; Familiaæ qua Sago, qua Togâ emeri-  
tissimis Viris TARŁONIBUS bis conjunx  
hucusq; vivit gloria in sui posteritatem. Non  
minus decorum Vobis quod è CYMBARCA  
Nepte ex sorore Germana KORYBUTHI  
et JAGELLONIS Filia Semoviti ex ER-  
NESTO Archi-Duce FRIDERICUS III.  
à quo rectilinio omnes Augustissimi Austri-  
aci Imperatores prodierunt. MICHA-  
EL primus Patruus Tuus ad Poloniæ Sce-  
ptræ voce populi datus, hoc Vobis in diploma-  
te Electionis dulce memoria reliquit monu-  
mentum. Obligatio Regnatrici Prosapiæ Stir-  
pis Jagellonicæ. DEMETRIUS Dux Supre-  
mus Exercitus Regni, Castellanus Cracovi-  
ensis, Patruus Tuus Germanus; alter post ful-  
mina terror, CONSTANTINUS Palati-  
nus

nus Beſzeniſis Pater Tuus hac pagina ne-  
queunt arctari. Quis Celfiſſimum MICHA-  
ELEM Supremum Exercituum Magni Du-  
catūs Lithvaniæ Ducem & Cancellarium  
Germanum Tuum digno laudum encomiō at-  
tingere potest. Acies instaurat, palmas victori-  
ces legit, quibus Patriam coronat; promit  
ab ore verba, vim Oraculorum habent, quæ  
bonum publicum ad omnem proſperitatēm  
informant. Vobis duobus Principibus ceu  
adamantiniſis basibus tota Publica ſuſtinetur  
moles, & ſemper in melius affurgit. Innuere  
hic licet Celfiſſimum PRINCIPEM, Iſ-  
luſtriſſimum Dominum in Ołyka & Nie-  
ſwiesz Ducem MICHAELEM RADI-  
VILIVM, Supremum Curiæ Magni Du-  
catūs Lithvaniæ Mareschalcum Comitem  
in Mir, Kroze, Szydłowiec & Biata, Præ-  
miſliensem, Czluchoviensem Capitaneum  
Gene-

Generum Tuum. Sux Aquilæ Gentilitiæ  
genuinus Pullus summis meritis in publicos  
Patriæ provolat usus. Fuit gloria ingens,  
Ejus Celsissimæ Domûs Eminentissimus GE-  
**ORGIUS RADZIVIL, S.R.E. CARDI-**  
**NALIS**, Cracoviensis Episcopus, redi-  
vivus suo tempore Sarmatiæ Augustinus, fu-  
ere longo syllabo recensenda alia ingentia de-  
cora quorum compendium est, refertq; selectis  
simam dialectum. Patre Celsissimo Supre-  
mo Magni Ducatûs Lithuaniae Cancellario,  
Matre **ANNA SANGUSZKOWA** pro-  
creatus, licet magna complectatur ornamen-  
ta, hoc ipsi maximum est, quod Tuam **PRIN-**  
**CEPS** Celsissime Filiam Lectissimam, Cor-  
dis Tui delicium, altissimi Sangvinis pretio-  
sissimam Gemmam nactus carissimam vitæ  
sociam, Capitis sui estimatissimam Coronam  
Uxorem bonam, veriorem Pandoram virtu-  
tum,

tum, & omne decus, quod suum concernit  
sexum. Ab hac exigua pagella minime se-  
jungendam censui, quæ intima mente & pe-  
store Tuo conjunctissima hæret, Celsissima  
Conjunx Tua, Cujus Animum ingens pietas  
& Cœlestis contemplatio; manus, indefinens  
devotio occupare non cessat. Preium omne  
Domi complectitur, quod & ab ultimis fini-  
bus petitum, nunquam tantæ Heroine com-  
parari posset. Digna Te PRINCIPE Ma-  
rito Coniux, Tuq; tanta Coujuge dignus, Or-  
bis Sarmatici maxima luminaria ambo. Sub  
Tui Ipsius Cultum serpit Gradatio Oratoria,  
PRINCEPS optime, Teq; quod nunquam  
digno elogio assequi possit, ingenue fatetur.  
Quis Archimedes Celsissimæ Domus Tuæ de-  
cora ad calculum revocare audeat? quis illa  
cognata aut quocunq; titulo propinqua, quæ  
in Dolscios, Chodorowscios, Lesczy-  
B nios,

nios, Połubinscios, Tyszkiewicjos, Pacios  
Ostrorogios, *Principes* Czettwertynscios,  
Ostrogsrios, Zaſławscios, Lubomirios,  
Lipscios, Wyzycios, Konarzewscios,  
Czarnkowscios, Mycielscios, Opalinscios,  
Jáblonovios, Potoccios, Szembekios,  
Sieniavios, *Duces* Radivilios, Sanguszko-  
nes, *Comites* in Koden Sapiellas, Branicci-  
os, Zawiszas, Zamoyscios, Działyńscios,  
Dzieduszyccios, Tarłovios, *Principes*  
Czartoryiscios, Koreccios, Woronieccios,  
Chotkievicios, Donhoffios, Zebrzy-  
dowscios, Koniecpolscios, & ex his Za-  
luscios, *Comites* Tarnovios, Lackorionscios,  
Tryznas, Oſſolenscios, Męcenios, Sta-  
dniccios, Daniłovicios, Zalenscios, Ko-  
narscios, Morsztynios, Moszynios, Prze-  
rebscios, Dębowscios, Krasinścios, Wielo-  
polscios, Widzgas, Oleśniccios, Rzewusci-  
os, Jordanos, stricta cum Zbarawscijs Colli-  
ga-

gatione junctos. Sed & in extero polo prima  
magnitudinis sidera ex Iablonovijs de Bethun  
ex Lescinijs de Melcian Marchiones quæ Fa-  
miliæ, quæ Senatus insignia ac alios, pluri-  
mos Trabeis & purpuris distinctos diffundan-  
tur, explicanturq; ornamenta enumerare va-  
leat: quorum omnium ita compendias ampli-  
tudines, ut in Te uno propè immensam ba-  
beant magnitudinem. Caput Tuum verè  
aureum & pene Bibliotheca tota; quidquid  
dicis, vel oraculum est, vel oraculis majus.  
Manus Tuas plenas hyacinthis è tot libera-  
lissimis fundationibus agnoscunt Divorum  
Ædes, æternumq; suum Mecenatem loquun-  
tur. Utor lacone stylo, & qua tractu etta-  
tis Tuæ in bonum Patriæ heroicis factis e-  
gisti, agereq; non cessas breviori veneror co-  
thurno. Sub Magnis Ducibus IABLO-  
NOVIO, POTOCCHIO, LUBOMIRIO,

B2

SIE-

SIENIAVIO ultra binas Olympiades Martis negotia tractabas, & nunquam Patriam triumphalibus non redimiebas Corymbis. Ita militem egisti, ut & Duce agere videres, Cui Lechici Palæmonicij exercitus propensissimi affectus continuò militare voluerunt. Quis numerus Tuorum in publicum laborum? Tribus vicibus Radomiæ Militaris Areopagi, semel generalis Themidis Regni Mareschalcus, bis ad Tribunal Supremum Magni Ducatus Lithuaniae Deputatus. Aliquoties ad Comitia generalia Nuntius, bis ad directionem Ordinis Equestris omnium votis Candidatus, ubiq; Patriæ negotijs studiasti prodeesse, Culmina honorū, quæ Tuis ultrò submittebantur meritis, hæc tantum admisisti, ad quæ per gradus ascendere placebat. Primum Pocillator, mox Mareschalcus Curia Magni Ducatus Lithuaniae

thvaniæ, mon Castellanus Vilniensis. Tum  
Russiæ, tum Cracoviensis Palatinus, nunc  
Castellanus, quid sit Senatorem esse? innu-  
meris documentis ostendis. Palatinatus Cra-  
coviensis Comitiola plusquam triginta vici-  
bus, generalia Regni Comitia, ultra vigesies  
adijsti semper Pater Patriæ, semper Orbis  
Sarmatici Atlas indefessus. Tarnogroden-  
sis Confœderatio quantum in emolumentum  
Reipublicæ cessit, tantum Tibi Majestas, tā-  
tum Senatus, tantum Equestris Ordo to-  
taq; Polonia obligatur. In Ordine Senato-  
rio primum Mobile, quo Tuos dirigis sen-  
sus, ibi Patriæ certa salus, libertatis con-  
servatio, publicæ tranquillitatis Moderator  
& almæ Arbiter pacis. Post AUGUSTUM  
Secundum REGEM desideratissimum, jam  
Te Elector populus signabat Regem, jam  
Votis & desiderijs in Te collimabat, jam  
B3 fermè

fermè proclamabat Regem, & omnino no-  
luisti regnare rogatus. Procul ab omni am-  
bitu remotus, gloriosis vestigijs Kostcæ Pala-  
tini Sandomiriensis & Tęczynij Belzensis,  
insistendo, ex quibus cum unum pro primo  
ipse Turcarum instabat Imperator, voluerunt  
vota Nobilem pro Principe sumere, irre-  
psit Procerum æmulatio, unde sponte cesse-  
runt, imo modestissime, uti Fredro ait: tule-  
re ipsam regnandi fortunam, sat sibi hono-  
ris esse quod sint Senatores Poloniæ & Ele-  
ctores Regum, Unde illis Paterculus Sarmatiæ  
addit: Magni profecto Viri vel ideo digni Im-  
perio quod in ea fortuna se modestissime tu-  
lere: vel etiam Caroli quinti hac in actate, quo  
nunc es, abdicantis Cæsareum & Hispaniæ  
diadema: inter vitæ negotia & diem mor-  
tis opportere spatum intercedere, quo ex mo-  
tivo Franciscus Borgias de hoc pio & ma-  
gno

gno Cæsare in exequijs à se Pinintiæ cele-  
bratis: Major in Eremo quam in Imperio.  
Accedit & hoc ad cumulum laudis Tuæ quod  
potes justè cum Moyse de Te dicere ubiqz: Tu  
scis Domine quod nec Assellum acceperim,  
nec affixi quemquam & molestus fui. Com-  
pesco ulteriorem laudum cursum, scio enim  
Tuam modestiam; sat de Te quod de Ver-  
ginio Plinius: Cui pares Cives virtutibus  
babebimus; gloria & zelo in Publicum ne-  
minem. Potuerunt Te belli pacisqz munijjs  
Togæ Sagiqz Fortuna, redivivi Camilli &  
Alcibiadæ Sarmatici; Tarnovius, Zamoy-  
scius, Chodkiewicius & alij superare; sed  
nunquam Fide in Patriam, amore in li-  
bertatem & in Majestatem, salva manuten-  
tione jurium Filiali zelo, uno verbo con-  
cludo quod de suo Platone Aristoteles: Hic  
est ille Vir quem omnes recti diligere de-  
bent.

bent. Pridem Cæsarum, Regum, Du-  
cumq; sanguine Augustissimus, pridem ma-  
gnis virtutibus PRINCIPE dignis, Titu-  
los omnes prætergressus. Excedunt quod-  
vis ingenium, calamoq; tenui nequeunt pro-  
condigno celebrari Divinæ propè in CEL-  
SITUDINE Vestra qualitates. Eloquen-  
tia Nestorea, qua omnium captivas ani-  
mos, ducisq; corda in triumphum; Clemen-  
tia, qua Te Divis æquat, sapientia aliaq;  
virtutum agmina, in Te plusquam huma-  
na. Hæc ipsa beneficia favoresq; amplissi-  
mi, quibus à Te cumulor PRINCEPS  
CELSISSIME cùm numerari nequeant,  
devota saltem à me gratitudine omnino de-  
bent honorari. In cuius documentum BO-  
LESLAUM Secundum ex Carinthia in  
Poloniam, suâ exemplari pœnitentiâ reducem  
sisto coram CELSITUDINE Vestra, pro-  
spera

spera quævis & secunda ut plenissimo in  
longævos annos appreco corde, ita non de-  
sino profiteri, quod sim perenni veneratio-  
ne Nominis

**Illustriſſimæ Celsitu-  
dinis Vestræ,**

*Devinctissimus Cultor,*

*&*  
*humillimus servus.*

**St. Golanski.**

**C**

*Pre-*

*Præcūstoditio ad Lectorem pernecessaria.*

**Q**ui edidit hanc lugubrationem, fuit dignus Abbas specificati loci Vir magnæ probitatis, sed antiquitatis Poloniae uti exterus & Mönachus vel parum gnarus, vel Sympatico Cultu erga Numinæ ævi sui Sarmatiæ cum æstuerat; nil mirum, quia ex abundantia cordis ore loquēbatur calamis, certum est, quod *Celsissima Radziviliorum & Sapieharum Domus* cum Palæmonico Orbe accessit ad Regnum post Boleslaum Audacem aliquot sæculorum emensis circulis, quod inclyta & heroica Zamoysiorum sub *Vladislao Lokietek* antiquissima *Kozłorogorum* descendens gente suam sumpsit Nomenclaturam, quod hi, qui portant pro insigni Navem sub *Ludovico Lois*, & sub *Jagellonibus* à Hæreditarijs suis terris derivarunt sibi Cognomina, uti & *Zborovij de Rytvany* potentissima quondam stirps; & sic de alijs, quamvis vetustissima & emeritissima *Druſorum* Familia penè ab ipsis cunabulis gentis floruit; tamen primo sub *Boleslao Crivouſtio* di-

vifi-

visione Bonorum cum Germanis suis *Lipsio*  
& *Stadniccio* Cui primo Lype, secundo cessere  
*Stadniki*, facta à bonis suis *Patronymicis Lubo-*  
*mirsiorum* gloria & omni laude digna propa-  
gata gentis est magnitudo, bello paceq; florens.  
Aet condonandum affectui scribentis, quod plus  
alienigenæ imò dulci recordio Ejus est pensan-  
da propensio, quamvis enim alij tamen Magni  
milites Poloni in Pannonia suam ediderunt for-  
titudinem, & quoniam subsequentibus Annis  
memoria illius tangente Herois ex his Domi-  
bus Sarmatiæ immortalis gloriæ immarcescibi-  
les pace & bello meruerunt adores, putabat  
is Sanctus Anachoreta, quod non potuisset me-  
lius exprimere actus militantium gloriose, quam  
sub istis dignissimis Prosapiarum & Personarum  
Titulis & Encomijs, sed secundæ partis genu-  
inam, quia de uno ex suis & apud se commo-  
rantis Lector admirare relationem & deprædi-  
ca Supremam DEI bonitatem quomodo iste  
Rex impius pientissime! quomodo sæviens pa-  
tientissime, quomodo ambitiosus humillime,

quomodo superbus humanissimè, quomodo dī-  
ves pauperrime, in gemitu & Orationibus, in  
mortificatione & afflictione carnis & spiritus vi-  
tam & ultima vitæ suæ duxit & clausit momenta.  
Lege rogo extremas hujus libelli pagellas, & si se-  
cutus es peccantein, sequere pænitentem, si lubri-  
ca ætas placebat in verè juvente; placeat austeri-  
tas compunctionis in limitante æstate periodum.  
Cum verò in hunc Principem coniicio oculos fi-  
xos possum exclamare! Misericordia Dñi super e-  
xaltat Judiciū in dñ cū Diva *Theresa* cōcludo: Mi-  
sericordiam Dñi in æternum cantabo. Thomas  
Cantuariensis Intercessori suo Regi finalē impetra-  
vit gratiā. Christus Dñus contra quem jam mor-  
tuū nolebat Carnificum amplius sævire Tyrannis  
in fractione crurium, Longinus aperuit sola ductus  
animositate exticti latus. Ideò meo Judicio majus præ  
cæteris perpetravit crimen. Mira res omnis effusus inno-  
cens sanguis humanus clamat vindictam, sed Christi veni-  
am. Fuit verus Assecla Christi Stanislaus, potuit suū cruo-  
rem emissis in Cœlum precibus conjungere JESU effuso;  
itaq; piè credendū de felici *Boleslai* Nostri eventu, & quod  
nulla gloria imò dedecus Religiosis foret fictitium mon-  
strare sepulchrum, & excogitata proferre effata narratione  
Typis vulgata.



DE  
**BOLESLAO II.**  
REGE POLONIAE,  
LIBER I.  
ARGUMENTVM

*Boleslaus Rex Poloniæ Andream Regem  
Hungariæ acie profigat, & Belam An-  
dreæ fratrem exulem solio restituit.*

**D**iscite purpurei casum inter læta timere,  
Instabilique Dex nimium nè fidite Règes.  
Felix qui potuit sceptrum tractare modestè  
Ambitione procul. Cœli sunt omnia munus,  
Non mendax Fortuna tuum: contemnit Olympum,  
Imperium quisquis mortalibus arrogat armis.  
Sceptra Boleslaus nunquam, populosque faventes  
Deserturus erat: vitam quod clauerit exul,

A

Pecca-

Peccatum Fortuna tuum : tibi credidit ille,  
 Excidit & solio, toto vagus hospes in orbe.  
 Illius exilium, lacrymasque, & vota gementis,  
 Et missam Cælo veniam mea Musa recense.

Vasta Borysthenijs Tellus habitata Polonis  
 Auroram à Moscis videt, & Mæotide pigrâ,  
 Pannoniam ex Austro, Syeones Aquilone gelant;  
 Purpuream cum sole diem Germania claudit.  
 Dives opum Regio, & navim patientibus undis,  
 Triptolemi, mellisque ferax, exercita bellis,  
 Armorumque, virûmque potens, & amica Minervæ.  
 Regibus ex alijs Casimiri regius Hæres  
 Sceptra Boleslaus, soliumque tenebat avitum :  
 Gentis amor, toto Princeps mitissimus orbe.  
 Omnibus alloquio facilis, solisque tremendus  
 Hostibus, hos domuit ferrô, frenosque superbis  
 Imposuit, veniamque dedit post bella subactis.  
 Septima continua hunc æstas vidit in armis.  
 Quàm felix una ante alias vastissima terras  
 Sarmatia, Imperijs tanti parere Monarchæ  
 Cui Fortuna dedit? riguo sic sœcula quondam  
 Saturno sub Rege ferunt fluxisse metallo.  
 Sic in pace suam sapiens flectebat Idumen  
 Et struxit Parijs enormia templa columnis  
 Congesto Davidiades spectabilis auro.  
Talis erat cùm jura daret, cùm prima teneret

Sce.

Sceptra Boleslaus, contempti Numinis umbram  
 Horruit & sceleris nomen. Non dira premendæ  
 Libertatis erat, Patriamque tyrannide sœva  
 Calcandi, & Procerum resecandi colla libido.  
 Relligio rectique tenor, reverentia legum,  
 Comis amabilitas, vultuque immota sereno  
 Et sine tristitia gravitas, sanctissima pactis  
 Pollicitisque fides, gnavæque industria dextræ  
 Mater opum Regni, synceræ gratia lingvæ,  
 Innocuique sales, & munificentia nullis  
 Quæ tenebris damnavit opes, dos aurea Regem,  
 Et dos prima Senum prudentia; Fama juventæ  
 Hortatrix, matrumque pudor, castusque puellis  
 Ignis in ore natans, dulcique in pace vigebant,  
 Sic senior post fata suum Casimirus ab astris  
 Erudit gnatum, Sceptri formavit ad artes.  
 Scilicet esse pios decet, & reverenter haberé  
 Fortunam, & superos nunquam contemnere Reges.  
 Qui pius est, idem cœli Rex proxima cura est.  
 Descendunt, & in arma ruunt, ex æthere lapsi  
 Cœlicolæ, si quem non justo Marte lacesset  
 Impius insontem, clementi bella superbus  
 Si moveat: læsum ferro tutantur, & igni.  
 Nec sibi, sed populi studijs quoque mascula virtus  
 In Rectore favet. Speculum Rex gentis, in illo  
 Ceu vivâ fontis glacie se quisque tuetur.

Nec rigidæ tantum leges valuere minæque,  
Quantum facta movent, sanctique exempla Regentis.  
Heu male constantes, & ad omnia flabra tumentes,  
Instabilisque Deæ semper pila ludicra Reges!  
Tot decora everti, maculari sanguine sceptrum  
Innocuo, sancti prosterni jura Senatus,  
Regnandi leges, genitor quas misit olymbo,  
Calcaris quis posse putet? quis maxima sperni  
Numina, & æternos contemni somniet ignes?  
Contempsit, foditque sacrum Rex ense cruentum  
Impius, & Superos, & inania sidera risit.  
Parte tamen felix, raro quod poneret iras  
Regibus exemplô, & facile placabilis esset,  
Primus ubi mentis cœcæ deferbuit æstus.  
Rara fuit semper virtus in Principe, parvo  
Surgentes animi compescere tempore fluctus.  
Bile tument alij rabiemque mucronibus expletus,  
Sæcula post cineres etiam, manesque sepultos  
Exercent odijs, satiantque furore furem.  
Tristibus exemplis sic diruit Anglia Thomæ  
Marmora, Sacrorum pro Libertate cadentis.  
Musa cruentati resera jam vela theatri,  
Cortinam remove: sine cæde, & sanguine scena  
Hæc claudi se posse negat. Quæ causa ruinæ,  
Quæ sceleris sit origo doce, & canere incipe mecum.

Cribri

(S) o (S)

# Cribri Tumultus Russici à Rege Bo- leslao sedati.

**A**Tatem rigidis omnem toleravit in armis  
 Rex juvenis, nudo placuit decernere ferro,  
 Quid fortuna velit, quæ sit sententia Marti,  
 Anteips quid belli ferat alea? & alea belli  
 Prospera semper erat, Regique favebat Enyo.  
 Ut Samio quondam Rhamnusia diva tyranno  
 Riserat, & gemmam, quam merserat ille profundo,  
 Reddidit exemplō, vomuitque in littore piscis,  
 Fortunā purgante fidem: sic semper adhæsit,  
 Et bello comitata fuit, certissima Regem  
 Haud dubijs circumvolans victoria pennis.  
 Nec quæ sors juveni, crescentibus ausa diebus  
 Contemerare fidem: crescunt virtutis adultæ  
 Tempora cum palmis; vicitria ferta viriles  
 Per crines serpunt; auctis augentur ab annis  
 Armatæ laudes, incisaque marmore Virtus.  
 Fama peregrinas etiam penetravit ad aulas:  
 Ductoresque alij tanto sub Rege cruentum  
 Laudant Matris opus, tempestatemque, tumultumque  
 Armorum, accendit cunctos fax mentis honestæ,  
 Gloria, & Heroæ immortalis Adorea Famæ.  
 Dextera bellatrix fortis ad fortia semper  
 Excitat, & felix omni spectatur ab ævo

In Du-

In Ductore manus. Non tantum callida possunt  
Consilia & validæ numeroſo milite turmæ,  
Quantum Belliducis præſens, & mascula Virtus,  
Cui fortuna comes. Si ridet Pacē ſerenā,  
Multa potest Fortuna; eadem ſi riſit in armis,  
Omnia. Nec Venus eſt ita compede nexa Gradivo,  
Quām Dea, quæ fortes timet, ignavosque repellit.  
Cedere turpe putant, qui tantum vincere nōrunt.  
Cuncta quòd auderet, neque falleret alea, Reges  
Finitimi, Audacem quem nulla pericula terrent  
Voce Boleslaum dixere, & Fama per orbem  
Sparsa volat, gelidam quā Titan ſpectat ad ursam,  
Quā mediusque micat, ſenior quibus occidit oris,  
Et quibus evigilat, Rex nomine dicitur Audax.  
Nomina pondus habent, quia vincit, & audet ubique.  
Barbara Gens Russis roſei Titanis ab ortu  
Intulit arma, Ducemque ſoli bis marte ſinistro  
Congressum abripuit, rigidique abſtraxit in antrum  
Carceris, & turpes injecit læva catenas.  
Auxilia implorant trepidi post talia Russi:  
Ultor adeſt ſtrictoque minax, & Numinis aras  
Enſe Boleslaus læſi, teſtatus in hostes  
Agmine concurrit, fundit, ſternitque feroceſ:  
Corriputere fugam reliqui per aperta viarum.  
Qualis Abantiades, qui Gorgona meſſuit Harpe,  
Eximit Andromeden vinclis, ſcopuloque ſolutam  
Uxo.

(85) o (86)

Uxorem sibi victor habet, plaudente puellâ  
 Servatore suo; Talis redit agmine victor  
 Prostrato, & palmis Russorum lauriger implet  
 Arva Boleslaus, solioque reponit avito  
 Quem gemuere Ducem tenebroso carcere clausum.  
 Talis adest, & viator ovat. Sic prima sacravit  
 Tempora Mavorti, raptam profugisque coronam  
 Regibus imposuit, sic ferro sceptrâ redemit,  
 Firmavitque thronos. Solem per utrumque cucurrit  
 Fama, triumphali vexique ad sidera currû  
 Audacem, audaces qui nosset tundere, Regem.

*Initia Belli Hungarici.*

**V**Ix bene composuit lites, & funebre bellum.  
 Altera bella tonant, iterum concurritur armis,  
 Finibus Hungariæ solio sublimis eburno  
 Jura dabat populis, & regia sceptrâ tenebat  
 Andreas senior, bellacis gloria gentis,  
 Cæsareusque Gener. Germano sangvine junctus  
 Illi Frater erat, cui Belæ nomen adhæsit.  
 Hic procul extorris Patriâ, peregrinaque lustrans  
 Littora, Sarmatiæ profugus defertur ad oras,  
 Atque Boleslaum lacrymis affatur obortis;  
 Armorum, bellique parens, cui prisca tulerunt  
 Sæcula nulla parem, similem neque postera gignent.  
 Exulis adventum scitari, & querere duri

Causas

Causas Exilij Rex invictissime parce!  
Frater ego Andreæ viduam mihi jure coronam  
Vendico, si fatis Rex frater cesserit olim.  
Sic pauci diadema sumus. Nunc jura, fidemque  
Contemerat, propriamque thronis imponere prolem  
Destinat, & puerò Salomoni sceptra dicavit.  
Rara fides, rara & fratrum concordia. Damnis  
Hoc miser ipse meis profugâ cum conjugè disco.  
Quodque magis doleam, faciunt affinia nobis  
Vincula, quippe tuam thalami mihi lege jugavi  
Rex amitam, amborum regali sangvine nexum est  
Cognatum genus. Hæc tibi me cum conjugè sislo  
Exul & insidias Lethi quas Frater in aulâ  
Intentare suâ mihi, Consortique paravit  
Sic ego decipio, fraudesque eludo veneni.  
Pellimur o Princeps! Regnoque excludimur omni.  
Quodque tuos nolim seros memorare Nepotes,  
Nec gnatos doluisse meos, præfertur, & ostrum  
Præripit ex cunis egressus trimulus infans:  
Æmulus heu! noster nutricum pendet in ulnis!  
Tunc senem puerò, quod legum sanctio cavit,  
Postponi Rex magne feres? non hoc tua dextra,  
Non tua me virtus, animusque in pectore præsens,  
Lecta que tot juvenum regni Mavortia pubes,  
Qui Duce te freti, ceu festum Hymenæa frequentent,  
Sic in equos, & in arma volant, non denique sanguis

Finiti-

Finitimus metuisse jubent. Rex parce dolori,  
 Si nimiūm quéror Ah triste est excedere Regno;  
 Et puerō cessisse senem! cum Conjuge dextram  
 Osculor hanc supplex, pactæ mihi jura coronaæ  
 Auxilijs tutate tuis, meque affere sceptro.  
 Munere pro tanto Superi, qui talia curant,  
 Præmia digna ferent, quoniam non possumus ipsi.  
 Finijt his dictis demisso vertice tristis  
 Bela, Boleslaus contrà sic farier orsus:  
 Surge animo, salveque mihi junctissime dudum  
 Tot jactate malis, tot Bela erroribus acte!  
 Gratulor hoc iterum titulis accedere nostris  
 Ut mea cognatis sint Regibus hospita regna.  
 Tuque adeò Herois tanti lectissima Consors  
 Pone modum lacrymis, & tristia lumina terge.  
 Tempus erit, regale tuis quo crinibus aurum  
 Impones, raptisque dolo dominabere terris:  
 Tempus erit, quo celsa throno Regina sedebis.  
 Ipse juvat casum DEUS, & fiducia causæ  
 Arma dat insonti: ruptam tu credis Olympum  
 Dissimulare fidem? ferit, & jaculatur ab alto,  
 Flagrantique scelus perjurum fulminat igni.  
 Mox iterum alloquitur Belam, conversus & infit:  
     His mi Bela malis majora interritus aude!  
 Hæc mea dextra dabit, quæ frater scepta negavit.  
 Sangvinis ut taceam sanctissima vincula nostri

Cognata tamque domum: vicina pericula surgunt  
Hoc puero quoque rege mihi, bella horrida Regno,  
Bella timenda meo. Quid enim, si foemina mater  
Jura dabit legesque viris, populumque ferocem  
Imperio premet? an mulier sub tempora Martis  
Pro Patriâ audebit, donec Rex pulsio crescat,  
Impavidum pepigisse animam, & decernere ferro?  
Scilicet hæc hostes speculis terrebit Amazon,  
Et configet acū, molli sternetque flabello!  
Illa nives, æstumque feret, galeataque durum  
Cum grege nympharum capiet super arma soporem.  
Turpe viris semper Regina, & fæmina mollis  
Imperat. Ipse monet sexus servire puellas,  
Et fusum tractare manu, non bella movere,  
Non urbes quatere, & mundum miscere tumultu,  
Haud dubito excitos contendet jungere Reges,  
Et frater glomerare tuus socia arma parabit,  
Perfidiae crimen communi Marte tueri  
Si queat, & gnato assertum defendere sceptrum.  
Sed male tutamur, quos novimus ætheris hostes  
Jurata temerasse fidem, firmataque cœlo  
Fœdera. Cum vieto sociabunt fratre ruinam,  
Quotquot erant comites sceleris, bellique nefandi.  
Hæc memorans gladium stellantem jaspide fulva  
Nudat, &, hic testis dictorum, ultiorque cruentus  
Fraternæ sit fraudis, ait: numerabit hic ensis

Magna

Magna strage globos equitum, peditumque maniplos.

Castra petes mecum vindex æquissime sceptri

Bela tui, consangvineâ cum conjugè proles

Obsequijs devota tuis mea proteget aula.

Finijt his Belam dictis solatus amicis

Hospitijque fidem profugo Regalibus aulis

Præbuit, antiqui fatum miseratus amici.

Mox ubi finierat, belli dat signa recentis

Buccina, & æricrepis rumpit stridoribus auras:

Crudescunt iræ. nova conclamat ad arma.

Ipse globos juvenum campo Rex censet aperto

Imponitque Duces cuneis, vexillaque turmis

Dividit, albentes aquilas, insignia Regni.

Mox acuit dictis: Ubi prima pericula surgent,

Rex ego primus ero. Pavidæ de turribus altis

Prospiciunt matres: gemitu comitantur euntēm

Spem Patræ: Sobolemque suam, quam linquere fines

Sarmatiæ, atque alibi nova cogere prælia cernunt.

### *Bohemorum in Poloniā irruptio, eorumq; strages.*

**E**cce via in media velatus epomide nigrâ

Conspicuus facie, frenis spumantia torquens

Ora ferocis equi, parvo comitante suorum

Agmine Jaromirus adest: genitoribus ortus

Albicolis nuper dederant qui jura Bohemis.

Hic prior occurſans Regi ſic ora refolvit:

Crinibus attronsum , tunicis hæc corpora tectum  
Funereis me quòd Rex invictissime cernis ,  
Desine mirari : sic me fraterna totondit  
Ambitio. Fratrum rara est ita gratia semper.  
Prædislaus erat Genitor mihi , & ille Bohemis  
Finitimisque dabat leges , & jura Moravis.  
Hic genitor qui nos suscepit conjuge natos :  
Cùmque extrema gemens clausisset lumina letho ,  
Primus erat nostrum , natu qui maximus . Hæres  
Spitignus , tenuitque sua ditione Bohemos .  
Tres reliquos cepit divisa Moravia fratres ,  
Ast ego , qui natu postremus , destinor Aris.  
Spitignus , functo fatis Genitore , furore  
Abripitur , propriamque solo pepulisse parentem  
Haud veritus plectente DEO celer ivit ad umbras .  
Cùm prius haud paucos illustri gente Moravos  
Arcibus inclusos tenebris damnasset opacis .  
Sublato terris Spitigno proximus illi  
Successit natu frater , rexque Bohemus .  
Tunc ego tandem aras , invitaque sacra perosus :  
Si fuit in ternos divisa Moravia fratres ,  
Tertia me nunc jura manent , cedente secundo ,  
Atque Bohemorum , dixi , nunc regna tenente .  
Nam neque Pontificum lituos , mitrasque bicornes  
Ambio , nolentem quis enim me coget ad aras ?  
Nunc ergo has tunicas te Rex spectante nigrantes  
Abji-

Abjicio, bellumquē sequor. Te poscere castris  
 Pannoniam, & solio Belam firmare tot annos  
 Extorrem didici famā. Pro pingvibus Aris  
 Arma manu capio, laterique incingo mucronem.  
 Dic mecum quid Magne velis Rex! jussa capello,  
 Præstat idem mea parva cohors servire parata.  
 Complexus juvenem, dictis & dicta repones:  
 Nolentem invitā quis tandem coget ad aras?  
 Rex ait, hæc solo lis à te judice pendet.  
 Elige. Consilijs, non legibus utere fratum.  
 Si tantum valuere animo, cur thuris acerram  
 Pontificumque mitras sibi non legere priores?  
 Et cantare preces quæ tandem gloria templis?  
 Fama tibi petitur, si mecum fortia Martis  
 Castra petis: Famam sectare, & collige laudes.  
 Nostrorum in partem sic te venisse laborum  
 Martie Jaromire juvet. Cape signa phalangis  
 Ista tuæ, miles posthac interritus esto.  
 Forte erit ut fratum quondam tua dextra superbos  
 Contundat fastus, & victa Moravia cedat:  
 Quenque volunt Mystam, præsens sis terror in armis.  
 Me sequitur, peditumquæ decem fortissimus ipse  
 Dicit Bela globos: simul altera dena sequuntur  
 Millia magnanimo sub bellatore Zamosco.  
 Agmina magna satis. Fortunæ cætera mando.  
 Ista Boleslaus. Sed Sarmatis ora cruento

Hespi-

Hospitis adventu posthac collisa duello est.  
Quippè Bohemorum Princeps, ubi percipit atram  
Deposuisse togam, Regisque favore Poloni  
Et socijs fretum castris se adjungere fratrem,  
Huc illuc animum variâ formidine pressum  
Jactat, & oppositis anceps affectibus errat.  
Dissimulet, rabiemque premat? metuendus inermis  
Qui fuerat, nunc armatus graviora minatur.  
Marte petat fratrem? Rex auxiliaribus armis  
Tutatur, ferroque novum defendat amicum.

Ast quia Pannonias exercitus omnis in oras  
Rege jubente migrat, paucoque Polonia fines  
Milite jam servat, vacuis immittere bellum  
Sedibus, & rapidis urbes exurere flammis  
Consilium fuit. Hæc placuit Fortuna Bohemo.  
Ergo aciem ingentem prædantum, nulla daturum  
Prælia justa, legit: quibus omnis vivere rapto  
Gloria; mox fines, & vasti viscera Regni  
Ingreditur, ferro, flammis grassatur, amicos  
Et populatur agros, populi nil tale timentis.  
Spumeus ut torrens per lubrica saxa volutus  
Imbribus, & limo turpi, nivibusque tumescit,  
Ac strepero undarum sternit sata verna tumultu:  
Sic fera prædonum se regno examina fundunt,  
Ferreus armorum bacchatur & undique nimbus. x

Regnorum facile est armis perrumpere claustra,  
Sed

Sed retro torquere gradum, & sine cæde suorum  
Ad Patrios remeare Læres labor Herculis ingens.  
Principio quæ læta nimis plerumque secundo  
Fine carent, & damna ferunt, serumque dolorem  
Consilia: Eventum pro metâ figere miles  
Conatur sapiens, non primi exordia belli.  
Sic quoque prima favens vicina in Regna ruentem  
Viderat, ast subito oppressit Fortuna Bohemum.  
Namque Boleslai fama hæc ubi venit ad aures,  
Et querulæ populi voces festina petentis  
Auxilia, ipse manu validâ contendit in hostes  
Inceptam relegitque viam, totusque Bohemis  
Imminet: à tergo Belâ Ductore sequuntur  
Turmæ aliæ Regem, qui jam vicinior hostem  
Omnibus explorat silvis, antrisque latentem  
Si petere, & justo certamine tundere possit.  
Haud aliter cervos agitare Aethæona vidi.  
Detrectare tamen pugnam, & diffidere rebus  
Ipse suis, turpique metu trepidare Bohemus.  
Silva capax ævi, flagranti impervia Phæbo  
Ramis obscurum connexis aëra stringens  
Umbrarum æternis horrebat mæsta tenebris:  
Nec procul hinc aberat prædatrix turba Bohemi,  
Cum Ductore suo. Luco succedit opaco,  
Et nisi jam stellas cælo nox spargeret atra  
Rex seræ tentaret adhuc discrimina pugnæ.  
Craßina lux, inquit, fundet, spolijsque rapaces

Exu-

Exuet, exspecta redeuntis munera lucis.  
 Nunc fessos recreare artus sub nocte soporâ  
 Tempus, & exhaustis riguam captare quietem.  
 Fama Boleslai rumore ubi perculit hostes,  
 Obriguere metu, pallens sine sangvine sedit  
 Prædantum Ductor. Lepores sic ora latrantum  
 Sæva timent. Posito veniam stat Marte precari  
 Et pacem exorare genû. Mox ipse sub umbras  
 Concubijæ noctis geminos ad regia castra  
 Ire oratores trepidâ formidine mandat:  
 Cras se venturum alloquio, si commodet aurem  
 Rex facilem, vinctosque omnes, prædamque daturum,  
 Pexerit ac primùm roseos Aurora capillos.

Accipiunt responsa, viam sub nocte remensi  
 Atque Bohemorum majori castra timore  
 Percellunt, agmen Regis dum grande recensent  
 Legati, pugnæque avidas pulchro ordine turmas.  
 Interea ex Belæ castris volat alter anhelus  
 Ad Regem, affatumque petit, simul ora resolvit:  
 Maxime Rex, denas qui ducit Bela phalanges,  
 Esse cupit præsto pugnæ, nisi tardior illum  
 Incessus peditum congressu fortè moretur:  
 Optat & impavidus bellator adesse Zamoscus.  
 Rex contra: auxilijs socium non utimur ullis;  
 Vade, age, dic nostris aciem tam fundere parvam  
 Et trepidam audaces nunquam dubitasse Polonos.

Quos

Quos majora juvant, decet hæc ridere minora.

Jamque aliquid dubiæ lucis surgebat ab Indis,

Dicere nec lucem possis, neque dicere noctem:

Sic tamen ut lucem semper mage dicere malles.

Quid tardas nox atra? diem quid Cynthie tardas?

Rex ait: exorere o! Mundi nitidissima lampas!

Cœlum sparge rosis, hostes ego sangvine pingam.

Hâc mihi nulla unquam mage tetrica nocte fuit nox.

Extemplo inflari lituos, & tympana tundi

Signa jubet pugnæ. Veniat si luce Bohemus

Et veniam supplex, inquit pacemque precetur,

Maturum puto tempus habet: si tardior adsit,

Non Illum alloquio dignari, & pace, sed armis

Et ferro fixum est isthanc decernere causam.

Quid juvat à lœsis post damna reposcere pacem?

Interea vigiles extremis undique castris

Observant creperâ quid agant, sub luce Bohemi

Collucere vident flammis hostilia castra

Undantesque globos sumi. Quin fama volabat,

Sub noctem fugisse hostes. Rex certior acres

Attollens iras in equo volat alite primus

Insectansque globos fugientum, o! Martia pubes

Appropera celer, appropera, ferroque fugaces

Insequere exclamat, dant terga, fugâque fatentur,

Se nobis non esse pares. Quasi pulvere venti

Excutiant sicco rapiantque per aëra nubem:

Sic tu fulmineum videoas ruere agmen in hostes.  
 Terga virūm premere, & prosternere corpora letho.  
 Vexilla, arma, tubæ, clypei, galeæque comantes,  
 Truncaque membra virūm, & porrecta cadavera campo  
 Sparsa jacent. Ergo nostras dux ille latronum  
 Prædonumque caput, potuit dux ille Bohemus  
 Effugisse manus? ergo plerisque suorum  
 Qui celerem rapuere fugam Bellona pepercit?  
 Sistite nec turpi maculate in sangvine ferrum:  
 Proripuit sese primus jam criminis author.  
 Nunc prædam legite, & vinctos adducite castris  
 Parvaque majoris præludia credite belli.  
 Convectant spolia his dictis, vinctosque reducunt  
 Ad castra, & solvunt vinclis. Mox tibia dulcis  
 Personat, in gyros se læta corona rotundat:  
 Atque diem ducunt epulis, noctemque choreis.

*Boleslaus exercitum ducit in Hungariam, &  
 suos hortatur ad prælium.*

**P**Ostera lux matutino cœlum imbuit auro;  
 Sidera vanescunt, & pendet ab æthere solus  
 Lucifer, æquoreis crinem bene lotus in undis.  
 Infremuere tubæ, percussaque verbere crebro  
 Increpitant abitum cum murmure tympana rauco.  
 Rex sublimis equo venit ipse, equitumque phalanges  
 Ingrediuntur iter. Mox & longissimus ordo

Incen-

Incedit peditum Belâ ducente maniplos.  
 Consistunt tumulo, tumulo Rex infit ab alto:  
 Macti animo invicti mea gens heroa Poloni!  
 Terga Bohemorum duxtor dedit, agmen & omne  
 Dispersum in tenues ceu fumus vanuit auras.  
 Dedeccus est profugos urgendo absumere mensem.  
 Prælia nos majora manent, majorque superstes  
 Gloria Pannonijs victores cernet in arvis.  
 Auxiliatrices si colligit undique turmas  
 Rector Pannoniæ, quantum nunc strage Bohemum  
 Territus atque fugâ nostro sibi Marte timebit?  
 Credite dimidium jam fregimus illius agmen.  
 Rumore armorum, famâque, & nomine constant  
 Prælia. Victores terror comitatur ubique.  
 His Rex instigat dictis acutique volentes.  
 Ipsi etiam sese certatim hortantur ad arma  
 Sarmatiæ Proceres: votum est tranare Tibiscum,  
 Pannones & stantes adverso in littore primo  
 Exhauire metu. Spolijs & divite præda  
 Jaromirus adest, profugos qui longius hostes  
 Insectans, primam meruit sub Marte coronam.  
 Ille trahit vinctos septem post terga Bohemos,  
 Raptaque fert dextrâ vexilla undantia vento.  
 Ducuntur vinciti picta ad tentoria Regis:  
 Edere tum jussi quæ sit fortuna Bohemi?  
 Quæ nemora abscondant pavidum? Sic ora resolvunt:

De Duce quod poscas nihil est Rex maxime nostro.  
Quadrupedante fugâ, rapidisque ablatus habenis  
Proripuit sese sub nigra silentia noctis.  
Nunc turmas fama est illum glomerare recentes,  
Quemque petis bello, bello jam velle tueri  
Andream, & pugnæ sortem tentare secundæ.  
Risit ad hæc, errâsse semel non sufficit ergo  
Rex ait: in bello nunquam licuisse secundò  
Errare hæc captum cerebro mea dextra docebit.  
Fata ducem suprema manent, aut vincula vestrum.  
At quibus auxilijs porrò, socijsque juvetur,  
Pannoniæ Rector, rumor si venit ad aures,  
Dicite: respondent, redduntque ex ordine vinclî:  
Fulgentem ære aciem Germano milite lectam  
Teutonicosque Duces geminos, bellique paratum  
Ingentem fama est constrato navibus Istro  
Regis in auxilium fluvio properare secundo.  
Hæc numerosa manus, Regi quam misit amicus  
Cæsar in Hungariæ primas exscenderit oras.  
Accedunt alij, numero famâque minores.  
Insuper & nostri, jam diximus, arma Bohemi  
Corripient, aderuntque suo cum Principe pugnæ,  
Agmina quin etiam non contemnenda Moravum  
Sub Duce se sistent Cunrado, fratre Bohemi.  
Hæc ubi captivi referunt, venit alter, opertam,  
Quæque gerit sensus numeris perscripta latentes

Porri-

Porrigit exiguam Belæ sine nomine chartam.  
 Bela aperit sensusque legit, Regique revelat  
 Abdita, quæ numeris calamus commisit amicus:  
 Atque ita verba sonant, tacitis perarata tabellis:  
 Bela veni auspicijs, Regisque favore Poloni,  
 Sceptra cape, & regnum: pro te certare videbis  
 Quos metuis: Socero spem vanam in Cæsare frater  
 Collocat Andreas: letho scelus ille piabit.  
 Sic breviter loquitur numeris perscripta papyrus,  
 Augurio jam læta suo. Victoria pugnam  
 Antevolat, dubios prævertit laurus Agones.

Ergò alacres certos spe divinante triumphos  
 Abrumpunt iter, & piscoſi effusa Tibisci  
 Flumina contingunt: pons arduus arcubus altis  
 Innexisque sibi trabibus frænaverat amnem.  
 At prior insedit pontem, turmasque locavit  
 Obvius, occursansque suo cum strage periclo  
 Andreas, fretus socijs, & Cæsaris armis.

*Apparatus utriusque exercitus ad Pralium.*

**S**Ol vespertino rutilum sub gurgite currum  
 Merserat, ingenti cras arbiter ipse duelli,  
 Spectatorque altâ signorum ex arce futurus:  
 Ergò ambæ ad pugnam sub opacâ nocte parantur  
 Invictæ gentes. Aggestis agmen arenis,  
 Pannones occludunt, curvumque per omnia castra  
 Descri-

Describunt vallum: Nostri se incingere vallo  
 Contemnunt, solo sed aheno pectori gaudent,  
 Et lucem exspectant avidi, stantque ordine nexo.  
 Optimus est murus constans, & ferreus ordo.  
 Ast hostes vario, & peregrino milite lecti  
 Despiciunt patriâ Majorum gente vocari,  
 Sed sibi Dardanidum de nomine nomina fingunt.  
 Atrides major tumidus vult esse Bohemus.  
 Cunradus minor Atrides: tum Cæsare missus  
 Belliger haud uni notus Gulielmus arenæ  
 Accipit Æneæ specioso nomina fuso.  
 Exin se Priandum vocat alter, & alter Achillen:  
 Dicitur iste Ajax, alias versutus Ulysses,  
 Nestor, & Amphilochus, Pyrrhusque, & Troius Hector.  
 Hoc sibi verborum strepitu, vanoque paratu  
 Comica Pannonidum plauserunt agmina, solis  
 Fortia nominibus. Nostri nil talia curant,  
 Sed Patriæ antiquæ, & nunquam tumulata parentum  
 Nomina clara gerunt, fuso qui sangvine veram  
 Mercati laudem titulos sibi morte creârunt.  
 Ista tenent, horum splendore & lumine gaudent,  
 His labara, & clypeos pingunt. Sic scuta rubescunt  
 Tincta rosis, quæ Pstrokonidum stirps inclita gestat.  
 Sic volat aurato in clypeo Radivilius ales,  
 Qui Jovis arma refert, & terret murmure mundum.  
 Sic sese viridi committit mascula ponto

Czar-

Czarneciana ratis, nulli cessura procellæ.  
 Ascia, crux, hastæ, soleæque, & spumeus amnis,  
 Gygnus, & Accipiter, Leo, fascia, Luna, Sagittæ  
 Et quidquid Virtus Proavum Mavortia scutis  
 Sarmaticis pinxit, defert gens martia secum  
 Ad castra, hoc solo Majorum nomine plaudit  
 Et virtute suâ: non Patrum ingentibus ausis  
 Docta minora sequi, sed famam extendere ferrô.

*Boleslai Regis Oratio Polemica  
 ante conflictum.*

Ipse autem chalybum squamis, auroque relucens  
 Terga Boleslaus Tyrio constrata tapete  
 Quadrupedantis equi premit, & supereminet omnes.  
 Plurima magnanimo Majestas insidet ori,  
 Et vivax oculis fulgor, meruitque timeri  
 Casside cristatâ, labijs sed spirat amorem,  
 Mel natat in linguâ: turmas sic ille suorum  
 Alloquitur, blandis animatque in prælia dictis:  
 Semi-Deum sangvis, flos Martie, gloria Regni,  
 Lecta corona ducum: bellorum fulmine mundum  
 Quæ, si fata velint, sit & hæc sententia cœlo,  
 Concutiat terrasque omnes sibi subdat, & æquor!  
 Nil antiqua moror, Lechici confinia Regni  
 Didita quæm fuerint, quo Marte Borysthenis unda  
 Perdomita infixas duro tres ære columnas

Litto-

Littore sustenteret, Proavi quas dextera nostri  
 Imposuit, memoresque suæ nos esse minores  
 Virtutis voluit: scelerata in prælia Russos  
 Surgentes temerè magnâ dum strage cecidit.  
 Illinc Carpathij montes, hinc cornibus Albis  
 Scriperat Imperij fines: spe dives avarâ  
 Limite pro Regni Neptunus Balthicus ipse  
 Coeruleum diadema dedit, sceptrumque profundum.  
 Nos Proavo tanto non inferiora secuti  
 Et Regni fines, Patriaque extendere terras  
 Sanctum opus esse rati, tumidos tot fregimus hostes,  
 Exuimusque Duces castris. Sit Russia testis,  
 Russia pùrpureo toties depicta cruce,  
 Cornua nos Viadri, nos cornua fregimus Albis,  
 Haustimus & Volgæ galeis vietricibus undas.  
 Nunc iterum certare acie, & contundere magni  
 Cæsaris arma juvat: nec enim dignamur honore  
 Dicere Pannonidum nomen. Quo marte Burossos  
 Fregimus, & Moschos, cum Teutone sic juvet æther  
 Bellacem miscere manum, & concurrere ferro.  
 Plura Boleslaus, fremuitque exercitus omnis  
 Sermonem & medium clamoribus interrupit.



DE  
**BOLES LAO II.**  
REGE POLONIAE,  
LIBER II.

## ARGUMENTVM.

*Continuatur residuum argumenti ex Libro I. Prælium, & victoria Polonorum. Boleslaus Cracoviam triumphans ingreditur.*

**J**Amque altâ ex speculâ dat buccina rauca canorem;  
Illi ad sonitum castris simul omnibus omnes  
Concinuere tubæ generoso carmine plenæ:  
Tinnijt & tellus, & magnus tinnijt æther.  
Ignescunt juvenes, fremitusque auditur equorum.  
Sic inter lituos, & cornua vulnera læti  
Despicimus, pulchrumque subit contemnere mortem.  
Agmina vix teli jaclu contraria distant,  
Conspiciuntque acres hinc Pannones, inde Poloni.  
Principium pugnæ nostris sparsum aère telum.  
Mox equitum clypeata seges ductore Zamosco

D

Ordini-

Ordinibus nexis seseque prementibus hosti  
Fit propior, primamque aciem perrumpere tentat:  
Stare loco contrà, fixæque insistere plantæ  
Pannones hortantur semet, neque cedere nostris.  
Quin & barbaricis calamos ex arcubus urgent,  
Absconditque diem nox ferrea missa pharetris.  
Ergo iterum insultu nostri graviore sinistram  
Vellere pertentant, acies ubi Cæsar is, alam.  
Ast neque Cesareæ constanti Teutone turmæ  
Se subigi, veterique sinunt statione moveri.  
Mille cadunt, illoque jacent, neque morte recedunt  
Quem tenuere locum sub primæ exordia pugnæ.  
Ecce Boleslaus ferro se intrudit in agmen  
Et rumpit virtute viam. Sic nominis implet  
Mensuram, Regesque inter Rex dicitur audax,  
Fulminat audacem quia primus in agmina dextram.  
Ense viros metit, & rorantes langvine manes  
Mittit ad umbrarum Dominos. Delecta juventus  
Exemplo Regis volat incita, funera, mortes  
Conglomerat, nullumque vibrat sine vulnere telum.  
Parte alia densâ medius caligine, & atrâ  
Nocte sagittarum Lubomirius emicat ardens.  
Hic quoque perrumpit cuneos, ensemque coruscans  
Se se infert septos fossis violentus in hostes.  
Nec procul impavidus Lubomirius imminet alter:  
Fulmineusque Topor prisca de gente Toporū;

Et

Et Radivil geminique infracto pectore Lasci.  
 Fit via vi, duro tandem fit semita ferro.  
 Pannonij justæ faciem componere pugnæ,  
 Cedere nec nostris, neque primi damna vereri  
 Agminis, &c multo rabiem saturare cruento.

Non secus ac lasso pastor quem forte petivit,  
 Saucius authorem dudum circumspicit anguis  
 Et linguâ vibrante minax, atroque veneno,  
 Arduus attollit coelo caput, atque sub ipsâ  
 Morte furit, saniemque vomit, nigrumque cruentem:  
 Sic majore tremunt læsi post damna furore  
 Pannones, & junctus sociali foedere Teuto.  
 Ecce ruit, Regemque petit, telumque trabale  
 Ipsi in Regis torquet latus agminis asper  
 Teutonici Ductor Gulielmus, Pannones illum  
 Æneam dixere suum: contorta sefellit  
 Sed tamen hasta latus, jacuitque ingloria campo.  
 Rex capit hoc telum, & Gulielmi in viscera mittit  
 Non fallente manu, tetigitque hæc lancea metam;  
 Mox ait, & mediâ in rilum quoque solvitur irâ:  
 Tu velut Æneas novus hoc me poscere telo?  
 Reddo quod accepi, sic tela vibrare memento.  
 Jam morere, & nigro postquam descenderis orco  
 Ore meo Æneam veterem, Turnumque saluta!  
 Sparsus equo jacuit Gulielmus, humumque momordit.  
 Mox cadit & Stenhelus, cadit & Laertius Heros,

Atque Neoptolemus, messique Athamasque, Thoasque  
 Ense Boleslai: nil fortia nomina prosunt:  
 Sola facit nomen virtus, & dextera fortis.  
 Non procul Æolijs buccarum follibus implet  
 Gente Bohemorum tubicen cava cornua, & aures  
 Perforat insanis stridoribus: hæc cape cantus  
 Præmia digna tui, Radivilius inquit, & umbris  
 Quod supereft cane: felicem tum strenuus hastam,  
 In fauces agit, ille vomit cum sanguine dentes.  
 Dum loquor obliquo sese altera lancea cursu  
 Librat, & in collum supremaque pectora fortis  
 Czarneccij impingit, quam miserat Hungarus Ajax:  
 Lancea sed resilit, squamis impacta, repulsam  
 Corripit, Ajacem ferit, atque in colla retorquet  
 Czarneccius, cadit ille animamque eructat in orcum,  
 Porrectusque jacet spoliatus lumine truncus.  
 Hic ubi se stipat globus, immixtique duello  
 Concertant juvenes, æs missile solvit ab arcu  
 Hector Pannonius, Sapiæham læsit arundo,  
 Sed leve vulnus erat, nostrum Sapiæha Leonum  
 Irritare minas fuge, dixit, & Hectora nervo  
 Dexteriore petit, simul ac: sic mitte sagittam  
 Hungare, sic Gentis Sapiæha sterne Leones.  
 Dixit, & emollo rupit præcordia ferro.  
 Hosticus Æacides, Germanum dictus Achilles,  
 Tres hastas, tenues contemptim sparsit in auras

His

His veribus, dixit, lepores ego figo Polonus.  
 Talia jactanti medio clamore protervum  
 Obstruit os, terebratque hastâ Lubomirius, ille  
 Dat poenas lingvæ, & petulantia verba resorbet,  
 Promicat adverso nudum de pectore ferrum.  
 Mox aliis Priami antiqui cui nomen adhæsit,  
 Multa furens, casu socij neque territus atro  
 Vocibus in nostros demens majoribus infit:  
 Vos ego Sauromatas! messor ceu tondet aristas  
 Armataque hyemes populantur vota coloni,  
 Sic feror in pugnam, & jugulis minor ultima vestris.  
 Terror ego, & mundi metus ingens, pressus ahenis  
 Sub pedibus tremit ille meis. Hac casside vestri  
 Spumantis vîctor potabo Borysthenis undas.  
 Non ego lac puerile bibi, sed sangvine duxi  
 Bellonæ mammas. Me Martis in arma ruente  
 Albescunt nigri Manes, & sidera pallent.  
 Plura locuturum telo per pectus adacto  
 Excipit, & si te jactandi tanta phrenesis  
 Vexat, ait nitidis radians Habdankius armis,  
 Jam Styga jam manes, jam pallida sidera terre,  
 Et jacta cessisse tibi. Tandem orbe subacto  
 Unicus ad Priamum telo te Sarmata misit.  
 Ille dedit gemitum, moriensque relanguit ore,  
 Et Styge Cassandram veterem, Priamumque petivit.  
 At dubia ut semper fors est, atque alea belli

Sic

Sic temerare fidem, juvenemque absumere letho  
Ausa fuit; lacrymis plorandum funus acerbis.  
Nam jaculum incertum, cuius neque cognitus Author  
Dextra nec ipsa fuit, volat, & cava dividit alis  
Nubila, purpureumque ferit, terræque supinat  
Pstrokonidem, insignem facie, & fulgentibus armis.  
Principio nihil ille dolens, sed frigora ferri  
Sola notans, rapidis hinc inde volabat habenis;  
Largior ast manans stridenti è vulnere sanguis,  
Tardior & motus, defectaque robore dextra  
Lethi signa dabant. In præceps labitur alto  
Cornipede, & gramen formoso sanguine pingit.  
Ut rosa (namque rosas pulcherrimus ipse gerebat  
In clypeo) sensim flaccescit ab ungve procaci  
Si convulsa fuit, vitamque exhalat odoram;  
Non tamen informis, sed in ipso funere pulchra est:  
Sic jacet, & fato jam functus dignus amari est  
Pstrokonides, tam magna genis pallentibus hæret...  
Gratia, tantus adhuc gelido decor innatat ori.  
Ista Boleslai subito mors vulnerat aures,  
Et juvenem cecidisse refert. Rex surgit in iras,  
Pstrokonidisque capit gravius de vulnere vulnus.  
Irruite, irruite, & nullius parcere vitæ  
Obdurate animum, mille hostibus ista pianda est  
Mors, ait, & vitam jam nemo ex hoste precretur.  
Macte novâ virtute! arma, arma capessite Fratres!

Fun.

Fundite, cædite, sternite, ad ultima mittite cæsos  
 Tartara! quin ipsum nullo discrimine Regem,  
 Cæsareosque Duces! jam dixi, parcere nulli  
 Obfirmate animum. Gemmis aurique metallis  
 Nullus emat servas meritâ pro morte catenas.  
 Interea tollunt humeris exangue cadaver  
 Magnanimi juvenis, referuntque ad castra dolentes.  
 Tum verò incipiunt diræ spectacula cædis:  
 Immixti alterius concurrunt mille duellis  
 Irati juvenes hinc Pannones, inde Poloni.  
 Arma armis impacta tonant, nuribusque timendum  
 Sese inter scissi sonitum dant ensibus enses.  
 Pugna calet, Bellona vices alternat, utrinque  
 Victores, victique cadunt. Perit ense Zamosci  
 Hungarus Androgeos, fatuâ quoque mente Choræbus,  
 Amphilochusque puer roseus, genitore creatus  
 Nestore, centenus decorat quem circulus anni.  
 Concidit & Nestor Radivili saucius hasta.  
 Iphytus, & Palias, simul ac Hypanisque, Dymasque  
 Confixi à Belâ, natum quoque vindicat ense.  
 Pstrokonides Pater. Heu! miseri quid Púnica prosunt  
 Nomina, si virtus, & fortis dextera cessant?  
 Insimul Antomedon, & equorum agitator Achillis  
 Procumbit Periphas, lorica nec ærea texit  
 Luctantem, & multo perfoßum vulnere Pyrrhum.  
 Sangvinis ingentes currunt per gramina rivi,

Omnia

Omnia cæde natant. Morientūm horrendi ululatus  
 Oppressere tubas: scisso fuit ordine Pannon,  
 Auditur Regem, Regem servare! tremendus  
 Clamor, & abripuit Regem nigra pulvere nubes.  
 Jam tres horarum Phœbus perfecerat umbras  
 Ex quo Pannoniæ glomerantur stragis acervi  
 Atque crux stagnat rivis spumantibus ater.

Cùm subito totis exorta silentia castris  
 Abrumpunt bellum: per tela, per arma volante  
 Jaromirus equo Regi fert nuncia nostro:  
 Maxime Rex; Belam perculsi strage suorum  
 Pannones agnoscunt Regem: Pars maxima nostris  
 Accessit castris: jam nil hostile minantur:  
 Ore meo veniamque rogant, vitamque precantur.  
 Quin ipsi inducias orant, Pacemque sequestram  
 Deposito Marte, & projectis Teutones armis.  
 Effugere necem pauci per aperta viarum.  
 Andream, multo fœdantem langvine currus,  
 Et jam luctantem gelidâ cum morte citatæ  
 Abripuere rotæ: ducuntur compede vincit  
 Belliduces alij, & Lechicas mordere catenas  
 Incipiunt captæ qui Trojæ nomen habebant.  
 Ecce meos, manibus nexis post terga, Bohemum,  
 Cunradumque trahunt fratres! Habdankius istam  
 Fert prædam. Veniam da victor, parce subactis.  
 Vix ea fatus erat, volat alter, & altera Regi

Nun-

Nuncia fausta refert: simul & Bela ipse caterva  
 Pannonidum cinctus nudatâ casside Regem  
 Alloquitur ( totis tum facta silentia castris )  
 Et sic gratantûm vota inter mille profatur:  
 Magne Thriumphator, vindex invictæ coronæ  
 Assertorque meæ? ferro qui concutis orbem,  
 Atque rapis bello fractos in vincula Reges,  
 Ecce pedes jacet ante tuos, tua jussa veretur  
 Pannonia, & præsens belli te Numen adorat!  
 Ecce manus tendit vincas Alemannia supplex  
 Henricique jacent contraria Cæsarîs arma.  
 Tu quantum dextrâ committis prælia forti  
 Tantum animo dominare tuo. Mitesce, tuique  
 Spem victis concede aliquam, veniæque repartæ.  
 Pacem orant omnes à te, mitissime Princeps,  
 Quam parti victor superatæ sœpè dedisti.

Hæc ubi disseruit nudato vertice Bela,  
 Rex contrâ surdas occludere vocibus aures  
 His equidem decet, atque omnem præscindere victis  
 Spem veniæ, sed enim quando pro gente peroras  
 Ipse tuâ, & positis demissi Teutones armis  
 Exorant Pacem, atque eadem mens omnibus una est,  
 Sistere conflitum, finemque imponere bello  
 Fœderibus placet, & victis indicere leges.  
 Rex esto ac primûm, & caput hoc incinge corona  
 Bela tuum, dubio ne demum vertice nutet

Pannonia, externumque legat. Quæ fœdera tandem  
 Pacis erunt, pleno componet lecta Senatu  
 Bruma sequens. Nunc extinctos abscondere terrâ,  
 Et vinc̄tos castris adducere, tollere prædas  
 Sit labor, hæc recreent victores otia fessos.  
 Ista Boleslaus complexus colla lacertis  
 Fortibus, & toto stringens jam pectore Belam.  
 Assistunt captique Duces, genibusque voluti  
 Implorant veniam; & veniæ quoque gratia facta est,  
 Admissique omnes Regalis ad oscula dextræ:  
 Talia nec meriti, nec talia fortè daturi,  
 Illorum ex acie Dea si Fortuna stetisset.  
 Tum festi castris collucent omnibus ignes,  
 Tympana rauca, tubæque, & tibia nata choreis  
 Undique concinuere, & carmine tinnijt æther.  
 Dant dextras, hastis qui se gladijsque petebant:  
 Mille chori læto in circum lœse orbe rotundant,  
 Atque alij indulgent epulis, cyathosque Lyæi  
 Ingentes statuunt positis in cespite mensis.  
 Haud aliter videoas post murmura nubis aquosæ  
 Perspicuum ridere diem, soleisque reduci.

*Fáromirus posito militiae cingulo, resumit  
 togam clericalem.*

**P**ostquam acie cæsus castrisque exutus, & armis  
 Pan-

Pannoniæ Rector, planctu comitante suorum,  
 Cùm gemitu abruptit lucem; rumore secundo  
 Fama frequens totum laté circumsonat orbem,  
 Arma Boleslai tollique ad sidera plausu.  
 Utque ea Pannonibus clades, funesta, dolensque,  
 Sic nostris magè læta fuit, neque sanguine multo  
 Constitit, & paucis lucem abstulit hosticus ensis,  
 Si tamen insignem facie, & radiantibus armis  
 Pstrokonidem excipias. Hunc jussu Regis avita  
 Ad monumenta Patrum longinquo funere defert  
 Jaromirus, & in Patriâ tellure reponit.  
 Nec Jaromiro juvenem texisse sepulchro  
 Expers officij fuit, aut minus utile munus.  
 Exin fatorum invidiæ, atque immite furentis  
 Fortunæ memor est, funus dum ductat acerbum.  
 Et loquitur secum: lethali frigore segnis  
 Pstrokonides formose jaces, nitidumque juventæ  
 Fluxit ebur? lacrymis equidem tibi mæsta parentat  
 Turba Ducum, & litui deflent, & tympana bombo  
 Plorant ferali, obscuros eduntque sonores.  
 Heu tibi quam rapuit vitam fortuna duelli  
 Hanc ferro reparare meo dextraque liceret!  
 At quoniam hoc prohibent Superi, tua funera saltem  
 Humanas meminisse vices me dura docebunt,  
 Et dabitur vitam peregrinâ morte lucrari.  
 Vota pij genitoris erant si templa subirem

Sacrorum Antistes, sed nec mihi templa, nec Aræ  
 Nigrantesque togæ, violentaque sacra placebant.  
 Ferreus armorum duxit me ad castra volenteim  
 Delubris Divum spretis, rapitque tumultus.  
 Ultima vota Patris sed nunc mihi sæpe recursant  
 Talis & ut non sim, metuo tamen impius esse.  
 Quid moror? ipse equidem si per tibi fata liceret  
 Pstrokonides sanctæ tranquilla silentia vitæ.  
 Eligeres quām castra sequi, Martisque tumultum.  
 Nam belli ex strepitu quæ tandem Fama superstes?  
 Quin gelido incisum, scriptumque in marmore nomen?  
 Quām sæpè hortatrix contempti gloria lethi  
 Lugubri pompæ cineres solatur inanes?  
 Concessit, tibi jam quod non licet, hoc mihi cœlum.  
 Ergo Patris sequor imperium, mitramque resumo.  
 Atque Olomucensis sisto me Præsul ad Aras.  
 Pontificum his dictis juvenis se cinxit amictu,  
 Postmodò Pragensis nactus quoque culmina mitræ.  
 Ast Bela interea sceptro, regnoque potitus  
 Regi immortales tanto pro munere nostro  
 Er meritas solvit memori de pectore grates.  
 O! referant dixit, solij invictissime vindex  
 Assertorque mei, referant, & digna rependant  
 Sidera grata tuæ bellaci præmia dextræ!  
 Atque ratas spes esse tuas velit author olympi!  
 Tu solium hoc regale mihi, tu sceptræ dedisti,

Hoc

Hoc diadema tuum est. Nostræ vive una salutis  
 Anchora, nulla dies tantos abolebit honores:  
 Nunquam magnanimæ morietur gloria dextræ,  
 Buda tuos vultus Paria de rupe resectos,  
 Et celsum te quadrupedante in marmore cernet:  
 Inque foro digitis monstrabit senior ætas.  
 Extorrem profugâ cum Prole, & conjugè Belam  
 Tu Lare Regali, dextraque opibusque tegebas,  
 Regis & Andreæ fregisti, & Cæsaris arma:  
 Haud dubius pro me caput objectare periclo.  
 Dent tibi dent Superi plausus pro munere tanto,  
 Gratantesque adsint cœlo, & tua vota coronent!

Hæc ubi differuit, Regi gratesque rependit,  
 Muneribus cumulat Proceres, quos Sarmatis ora  
 Miserat auxilio: pondus grave divitis auri,  
 Argentumque ingens, tum bellica præda reluxit.  
 Fulgentes chalybum squamæ, clypeiique corusci,  
 Auratum vomuere diem, sua tela reflexit  
 Cynthius in galeas, totusque exarsit in illis.  
 His super accedens gazæ, pretiosaque colli  
 Pondera & armillæ, maculosaque terga ferarum,  
 Raptaque signa Ducum, & vexilla volantia ventis,  
 Pietaque barbaricis tentoria capta tapetis.

Victor at interea leges & foedera pacis  
 Nostrâ ac Pannoniâ cum Gente, ac regia firmat  
 Jura Boleslaus, Regique, amitæque coronam

Imponit, stabilitque suæ : spectacula menses  
Euhauſere duos, ludique, & pompa triumphi.  
Ergo referre pedem, fortesque reducere turmas  
Atque acie in fines placuit remeare Polonos.  
Bela quidem Regem verbis, precibusque morari,  
Et lacrymis perfusa genas Regina decoras,  
Inſtitit : hoc etiam regales Geſa precantur  
Atque Ladislaus gnati, Proceresque, Duceſque.  
Rex afferre pedem ſed regno certus, Amicum  
Alloquitur Regem, ſupremaque verba profatur :  
Bela vale ſceptroque tuo, terrisque beatus  
Perfruere ; aſt noſtræ cœlo ne robora dextræ  
Armaque tolle nimis. Sunt omnia munus olympi ,  
Aſtra thronos tribuunt, veniunt diademata cœlo.  
Non regale tuis hoc Bela ego crinibus aurum  
Imposui, & ſocias fratriſ cum Cæſare turmas  
Perfregi, ut memoras : non eſt meus iſte triumphus.  
Ille ille Armipotens, ſcelerum juſtiſſimus Ultor,  
Forti aderat dextrâ & contraria contudit arma.  
Illiſ, ô Bela injuſtum ſi dummodo bellum  
Suscipient, nunquam mundi ſunt cura Monarchæ.  
Innocuam ille armis properat defendere cauſam.  
Strage jacent certâ, & proprio nant ſangvine Martem  
Qui temerè invitant, non conditionibus æquis.  
Haud equidem ſatis impedio temeraria multis  
Mens imposque ſui quam Regibus hæreat olim,

Ut

•35) o (36•

Ut rupisse velint, jurataque scindere pacta,  
 Atque dolis fundare thronos, terrisque potiri:  
 Pendeat humano Regni ceu diva potestas  
 Ingenio, sceptrique deus mortalibus armis.  
 Heu miseri, quibus hac Majestas arte paratur!  
 Justis ergo armis tibi quæ concessit olympus,  
 Justitiâ tua Regna tene atque in pace tuere:  
 Exercere malos odijs, meritæque coronam  
 Ponere virtuti ne desine: dignus amari est  
 Crimina quem metuunt. Dos hac in Principe prima est  
 Displacuisse malis. Crudeles sumere poenas  
 Parce tamen, crebrasque nimis: Ceu funera multa  
 Artis sunt maculae Phœbææ, & proba medentum:  
 Sunt ita supplicia, & poenæ si sèpè reposcas,  
 Vibices quædam & maculae, nævique Regentum.  
 Fulminis in mortem Rex unum tangat ab alto  
 Et petat igne reum, sed murmur terreat omnes.  
 Regia nulla metu dudum sed amore geruntur  
 Sceptra, timor populi nimius sèpè aspera movit  
 In Reges odia, & rabiem, cædesque cruentas.  
 Nè quoque finitimi invaleant, dum Pace senescis  
 Jucunda, atque tuæ placidus das otia Genti,  
 Arma tibi medio semper quasi Marte paranda?  
 Bellatrixque domi pridem exercenda juventus.  
 Publica Res felix, almæ quæ tempore Pacis  
 Se bello parat, & Mavortia cogitat arma.

Vici-

Vicinis est rara fides, dum lumina claudis,  
Hi vigilant, neque tuta domi sunt otia, præsens  
Ni metus obsistat populi civilibus undis.

Armatum metuunt Regem, aspernantur inermes.  
Aurea quæ fuerat, nunc omnis ferrea pax est,  
Régum & amicitiæ pendent, & foedara ferro,  
Consilia & fraudes felix qui dissipat armis.

Hæc & plura novo dederat præcepta Regenti  
Pace Boleslaus facta, non immemor horum  
Bela, suos etiam regni ad fastigia gnatos  
Erudit, docuitque sequi. Sed sceptra per annos  
Vix gessit ternos, inopina ruina cadentis  
Fornicis oppressit Belam, & demisit ad umbras.  
Heu! Regnum breve, quod tanto sudore paravit!  
Functo igitur fatis Bela, regalia sumpsit  
Sceptra Ladislaus, cum Geisla fratre, thronumque  
Pannonium inscendit. Salomon sed regia proles  
Andreas nuper confossi, ex matre Neposque  
Cæsar, ut functum, cameraque ruente sepultum  
Percepit Belam, Regni spem concipit, armis  
Pannoniamque petit fugiunt ad nostra dolentes  
Regna, Ladislaus, cum Geisla fratre rogantque  
Auxilia: Ultor adest, vindictaque, & milite multo  
Imminet Hungariæ, ferro flammisque, negatum  
Rex noster Geisla rursum diadema daturus,  
Atque Ladislao. Salomoni vincula Pacis

Neæte.

Ne<sup>c</sup>tere sed placuit, nec jam tentare duello  
 Fortunam ~~ancipitem~~, quæ tam male faverat olim.  
 Ergo Ladislauum, cum Geisâ sponte coacti  
 Pannones accipiunt Regem, solioque reponunt.  
 Tanta Boleslai virtus. & gloria dextræ  
 Bellacis, Regum metus ille, & terror ubique est.

Contraxit vultum ast tandem, & fortuna recessit  
 Ipsa suis inimica Procis. Qui rexerat armis:  
 Consilioque, manuque Duces, mutare triumphis  
 Exilia, atque suis errare à finibus exul  
 Cogitur. Humanis hæc est constantia rebus,  
 Sic juvat audentes Fortuna, premitque vicissim.  
 Ille Ladislai, & Belæ fortissimus Ultor,  
 Rumore armorum magnum qui terruit orbem  
 Flebilis hospes erit, quâ nunc redit, atque triumphat  
 Pannoniam repetet tristis, desertus, & indè  
 Se quoque proripiet, Romanaque mænia posceret,  
 Nec miser attinget. Quid prælia Musa recantas,  
 Prisca, Boleslaus quæ quondam gesserat Audax?  
 Ille tuus Regno pulsus, pannosus egensque  
 Serviet, ignotâ mutus latitabit in orâ,  
 Atque peregrino sub marmore dormiet Audax,  
 Fortunam accusa, caput hoc mersare procella  
 Quæ potuit, rigidis & quod decus addidit armis  
 Flagitio infando eripuit, ferroque cruento.  
 Ergo tuum Audacem comitare, antiqua Cracique  
 Mœnia Musa pete, & seriem canere incipe rerum.

*Boleslai Regis triumphalis in Urbem ingressus.*

Jamque Palatinas rumor pervaferat auree,  
 Famaque per Lechicas prænuncia labitur urbes,  
 Regem in procinctu reduci cum milite portis  
 Affore, & insigni subitum moenia pompâ.  
 Aurea figuntur Cois lucentia vélis  
 Extra urbem, campo in médio tentoriâ Regi,  
 Haud prôcul hinc sese labaris signisque decora  
 Expluit Legio, multæque per ætheris auras  
 Increpûere tubæ, fragor æra pererrat acutus,  
 Tunsaq; conduplicant cum murmure tympana murmur,  
 Ipsa mîcans gemmis per grandia vitra relucet  
 Pilenti aurati lectissima Regia Consors,  
 Nec non lecticâ fertur promissa Bohemo  
 Sponsa, soror Regis; generoso Asturcone celsus  
 Accelerat, Matrisque rotas prætervolat ardens  
 Purpurea in chlamyde, & limbis radiantibus auro  
 Cum Patruo, ac primus subit ora paterna Miesco.  
 Mille alij volitant in equis, & curribus aurêis.  
 Mox ubi Rex magnam propriùs conspexerat urbem,  
 Pictaque contigerat tentoria, voce salutat  
 Reginæ, & Procerum regni, facundaque solvit  
 Ora Stanislaus, fuerat cui prima sacrorum  
 Relligio atque alij Proceres, pulcherque Miesco,  
 Tum Regina, Sororque Duci nuptura Bohemo,  
 Et frater properant regalis ad oscula dextræ;

Festa-

(S) o (S)  
Festa que testantur geminato gaudia planstu.

Inde triumphantem populosa Cracovia Regem  
Excipit, ante volant in equis, & pulvere nubem,  
Immittunt portis propera agmina quadrupedantum:  
Clarescunt litui, castrensi carmine plenis  
Frangitur aura tubis, & fortis quassa lacerto  
Ærea tunduntur cum murmure tympana rauco,  
Infremit, auditurque profunda ad Tartara bombus.  
Protinus atque avidas resonis clangoribus auxes  
Cantrices acuere tubæ, descrimine nullo  
Ætas in campum ruit omnis, sanguine prisco  
Inclyta Nobilitas, puerique, & vulgus inermum,  
Matresque approparent timidæ, pictæque puellæ,  
Emeritique senes. Urbs ipsa migravit ab urbe  
Mavortem exceptura suum per tempora lauri  
Cui virides serpunt invictæ præmia dextræ.  
Omnia pulsa sonant campana in turribus æra.  
Exspectata dehinc, oculosque morata faventum  
Pompa venit tandem, & longissimus ordo Triumphi.  
Principio stratis Tyrio fulgentibus ostro  
Sublimes in equis Juvenes ad moenia tendunt  
Ter numero centum, hi gressus glomerare superbos,  
Cornipedes docuere suos, calcaribus armos  
Dum fodiunt, frenis subfultantesque morantur.  
Sensus inest aliquis, dominisque superbia quanta est,  
Tanta quoque extimulat laudum generosa cupido,

Bellacesque accendis equos. Mox duplice versu  
Hastati incedunt pedites, & ferrea longè  
Horrescit seges: Hi labara, & vexilla cruenta  
Deleti exuvias hostis, prædæque superbæ  
Munera prima ferunt; sequitur globus alter, & alter  
Belligerantum alijs semper spectabilis armis.  
Ecce foro in medio fornix ad sidera surgens  
Contextis trabibus, vix tangere lumine possis,  
Tres laxat portas: faciem magis exsplicat illa  
Quæ media est, geminalisque capit satis ampla quadrigas.  
Desuper effigies micat aurea frena tenentis  
Viva Boleslai, rutilo quæ fulgurat auro:  
Aureus & Sonipes, aurumque volubile mandit  
Dentibus, & spumis liventibus inficit aurum.  
Mox etiam Heroum series pictissima celso  
Pegmate conspicitur, certam Lubomirius hastam  
Contorquens clypeumque tenens, cui flumen avitum  
Incisum, riguo sua littora proluit auro:  
Bisthonijs in equis Radivil, fortisque Zamoscus,  
Et Laſci gemini, & Tencinius, atque Zboroscus  
Firlæus, nomenque rosis qui traxit, & alter  
Tres ex ære tubas solitus qui pingere scuto.  
Quisque suos picta cognoscit imagine vultus,  
Auro collucente tuus Bellona senatus  
Ferreus exprimitur, Martem spirantque colores.  
Oppidaque, & captæ radiant cum turribus urbes

Et

(S) o (S)

45

Et Fluvii auratas fundunt ex urtibus undas.  
Quin & scuta Ducum, simul atque insignia Gentis  
Sāmaticæ, niveis volitans Melanæetus alis  
Punico in campo Lechicorum insigne Regentum,  
Et Crux, & litui, & soleæ, celeresque sagittæ,  
Aescia, & accipiter, cygnus, leo, navis, & amnis,  
Purpureæque rosæ, atque argento plena Selenne  
Pluraque collucent Panchæo ducta metallo,  
His super accedunt spirantia signa Deorum,  
Cœlo lapsa redux quæ gestat virgo stateram,  
Et Dea, quæ geminis speculi crystalla collubris  
Implicituit, factique sagax, solersque futuri est.  
Mox & Relligio, & nullis conterrata fatis  
Candida mens, & pacta fides, & foedera sancta  
Connexa inter se spectantur ab arcubus altis.  
Nec non contundens cum Cæsare Pannonas acres  
Cernitur, & tumidos calcans Bellona Boruscos.  
Regia ferratis Mars néctit sceptræ catenis  
Succolatque thronos clypeis, nodisque rebelles  
Colligat iratum placat clementia Martem.  
Ista triumphali Zeuxis depinxit in arcu  
Insculpsitque notas memores, mutosquè colores  
Versibus explicuit numerum referentibus anni.  
Nunc ergo incedit regalis pompa per arcum,  
Et Rex & Proceres, & ferreus ordo juventæ,  
Romanos rerum Dominos, Capitolia quondam  
Sic subiisse ferunt post fræcos Marte Britannos.

DE  
**BOLESLAO II.**  
**REGE POLONIAE,**  
**LIBER III.**

ARGUMENTVM.

S. Stanislaus Cracoviensem Episcopus Regis severitatem in desertores objurgat & obtruncatur à furente Rege cum paulo ante Petrum Equitem revocâbet ad vitam. Patratâ cœde Boleslaus fugit cum Miescone filio ad Ladislaum Regem Hungariæ.

**M**ulta dies abijt ludis, epulisque sacrata: Romani cestus, discus, saltusque Palæstra, Et cursus tota passim celebrantur in urbe. Vota superba tamen Procerum, populiq; faventis. Turbine dejicit, casuque exercuit atro Indocilis servare fidem Fortuna perennem.

Felix

Felic ille animi, quem res efferre secundæ  
 Haud valeant! utinam ne te quoque fata levassent  
 Bellator, sortisque tuæ non immemor essem  
 Magne Boleslae, Heroum fortissime Ductor;  
 Et gentis Lechicæ jubar! Hoc tibi defuit unum.  
 Noxia credulitas, pigris dum libera ventis  
 Vela nimis laxas, casu te mersit acerbo.  
 Non bene, qui clavum tenet, alto in marmore dormit.  
 Tot post exhaustos Martis, bellique labores  
 Armorum vacuam qui gentem in pace regebas,  
 Cur tibi bella domi, & cladem struis, atque ruinam?  
 Est locus undisonas ubi pulsat Vistula ripas  
 Murmure cœruleo. Verbosos hîc fora vexant  
 Causidicos, litesque tonant, & jurgia lingvæ.  
 Nec tantum possint rixari fluminis undæ  
 Quanta foro dubiæ moverunt prælia partes.  
 Hîc quas credibile est Erebi dictâsse sorores  
 Regis ad imperium, quo nemo mitior olim,  
 Crudeles pendent tabulæ, & mandata cruenta.  
 Qualia Rex dederat nunquam, neque forte daturus  
 Si mentem rexisset, erat. Violenta sequuntur,  
 Atque ita iussa sonant: Hæc est matura voluntas  
 Sceptra Boleslai, & terrarum frena tenentis:  
 Qui sine Belliducum & nostrâ, dum gessimus arma,  
 Deseruit Martem veniâ, discriminè nullo  
 Quisquis erit, vulgi seu de grege, clarus an alto

San-

Sangvine, carnificum turpis cadat hostia ferro.  
Ista Boleslaus mandat, jubet, imperat Audax.  
Et quia thesauros Regni Mars hausit, opesque,  
Vectigal duplicant cives, quā lege Sacrorum  
Haud sit eximij Proceres, geminare tributa  
Si renuant, laqueo infami tolluntor in altum.  
Fama pudicitiæ nostras quoque venit ad aures  
Extinctæ Lechicis in Matribus, otia segnes  
Cùm traxere domi, tractantibus arma maritis.  
Sique tori temerâsse fidem scelerata notetur,  
Expiet igne scelus: priùs ubera lactea potent  
Pellicis, exlugantque canes, catulique luporum,  
Lacte lupos recreet Lupa, post mittatur ad orcum.  
Hæc edicta foro pendent, Regnumque per omne,  
Ferali vulgata tubâ terrore, metuque  
Percellunt cunctos: Sonat illætabile murmur  
Undantis populi, cœunt, armantur agrestes;  
Ipsi etiam occulto Proceres fremuere tumultu.

Et jam rumor erat plures descendere in altas  
Carceris abstrusi fauces interque catenas  
Fortunam plorare suam. Quin enle peremptos  
Et laqueo haud paucos popularis fama ferebat.  
Amissi plures, quorum clarissima Regno  
Nomina. Damnatae matres, nuptæque capillis  
Ad latebras tractæ, & tenebroso carcere clausæ.  
Nulli Nobilitas, nulli sua profuit ætas.

Hæc

Hæc super haud dubius, mendaxque per oppida rumor  
 Serpit, adulterij qui Regem crimine sotem  
 Arguit, abstractamque thoro sine lege susurrat  
 Christinam, raptamque viro. Rex turpis adulter  
 Jam vulgo à pueris populoque fremente vocatur.  
 Quodque caput, nemo verbis monuisse furentem,  
 Ni vitam instanti velit objectare periclo.  
 Cura Stanislao sacrorum ægroque, senique  
 Tunc fuerat, toto quo relligiosior alter  
 Vixerat haud Regno, pro Regis vota salute  
 Ille, precesque pias, & odori thuris honores  
 Obtulit: ast surdus votum non audijt æther,  
 Vel certe voluit non exaudisse videri.  
 Ergo senex Lechiæ fortem miseratur iniquam  
 Accedit Regem intrepidus, cordatus & infit:  
 Raxime Rex, seros cœlum tibi proroget annos,  
 Fortunâ stipulante fidem! Pro te excubet æther  
 Pervigil, & Divi spirent ad vota faventes!  
 Pace tuos placidâ rege, nec bella ulla feroce  
 Decernant populi. Tu gloria maxima Regum  
 Sarmatiæ, primumque decus. Tam fortibus armis  
 Nemo unquam domuit, patrijs neque finibus hostes  
 Exegit victor. Profugos tua dextera Reges  
 Afferuit sceptro, solioque locavit avito.  
 Haud dubitem, cœlo palmas debere fateris  
 Magne Triumphator, confectaque prælia dextris.

Adscribis gratus Superis, hostesque subactos.  
Publica Fama tuos tamen obscurare triumphos  
Audet, &, ut potius reor, in te lubrica peccat  
Lingua fori, quam te dicam Rex magne nocentem.  
Deseruere aliqui bellum, quos carcere, ferro  
Diceris, & duro exilio mulctare dolentes:  
Non hoc supplicium meruere in fine laborum.  
Invidiâ caret agnati defendere famam  
Sangvinis, atque fugâ thalami sacra jura tueri.  
Quanta fuit juvenum te absente licentia regno?  
Nulla pudicitiam sat terrea claustra tegebant.  
Casta sit exemplo, nullo violabilis astu  
Margaris, hæc Comitis sancta, & lectissima consors  
Zembocij ex templi pactum servare pudorem  
Debuerat turri, quam furtim inscendit, & altum  
Fercula per funem vitæ solatia traxit.  
Ista quidem thalamos turpes, struprumque perosa  
Cum geminâ sese servavit casta loriore:  
At malus inteteà, cœcusque quot abstulit error?  
Plurima jam posito meretrix effræna pudore  
Ambulat, & vulgo quovis mercabilis ære est.  
Hæc ubi percipiunt castris, veniamque migrandi  
Nec quicquam exorant, cur non Rex maxime tentent  
Ad Patrios remeare Lares, læsumque tueri.  
Conjugij, factæ post otia pacis, honorem?  
Quin etiam insolentes umbrosæ carcere noctis

Mergere te Matres, thalamisque avertere nuptas,  
Christinamque viro.

*Diræ Regis in Episcopum, & calumniosa Episcopi accusatio de Pago Petri Equitis fide malâ cōempto.*

**D**icitis Rex palluit istis,  
Sermonem abrumpens mediū. Cum Rege memento  
Mysta loqui, dixit: verbis neque talibus Aulam  
Corrige: Templorum cathedris tua fulmina serva.  
Non bene corripitur, penès est quem summa potestas.  
Hæc Regi objectare tuo? Longissima nobis  
Est manus. Et tandem populum non omnia semper  
Mentiri, verique aliquid da fama subesse:  
Quis Cato Dictator Regi? dictare Regentū est,  
Audire, imperiumque pati, & parere minorum.  
Plura licent nobis, quām simplex somniet Arcas.  
Sæpè vacant Iudis aulæ, dum vexat aratum  
Ruricolas: Astris pariles incedimus, arva  
Vomere scissa gemunt, cùm ducunt astra choreas.  
Quidquid calce premunt Reges, Mundique Monarchæ  
Fit rosa. Vel crimen, Regi si fiat, honestum est.  
Aula exesse potes, stupidasque hortatibus aures,  
Agrestesque casas, non Atria splendida Regum  
Mysta implere tuis. Sic fatus ad ostia duxit  
Panda Stanislauum tristem, jussitque, recedat.  
Ast secum ingentes animi consurgit in iras:

G 2

Quid?

Quid? Regem à vetulo templi custode moneri?  
Huc tandem nostræ progressa est gloria dextræ,  
Ut rauci pendere senis cogamur ab ore?

Æditimum in turri verbisque minisque malignis  
Corrigat ille suum, malè si pronuntiat horam  
Malleus, aut oleo tardet saturare lucernas.

Talia quando acri secum Rex corde volutat,  
Iratum accendunt Proceres magis, utque molestum  
Hortantur procul esse senem Penetalibus aulæ  
Imperet, affatumque neget, foribusque repellat.

Hoc habet omne scelus, socios prompte invenit; alto  
Ceu quondam in Pelago, si dimicet unicus Auster,

Mox conjuratis flant follibus Eurus ab ortu,

Horrifer à Schytia Boreas: brutescit & ipse,

Qui civilis erat, Zephyrus, stridetque per undas

Occiduas; fervet rapidum per cœrula bellum

Una omnesque simul campo gladiantur aperto:

Haud secus irato Proceres se adjungere Regi

Consilijs certant. Hos inter fronte minister

Perfrictâ, miræ reserat molimina fraudis,

Quâ capiant, stringantque senem. Corradit avarus

Præsul, ait, gazas, gemmasque recondit, & aurum

Delubris, censu pingvi ditescere Templa

Gaudet, & insano nummorum pallet amore.

Tertia bruma nives posuit, ter saucia sicco

Sole sitivit humus, coxitque Canicula messes,

Ex quo

Ex quo Nobilium donis, atque ære piorum  
 Petri Equitis pagum invasit, temploque cōémít  
 Afferuitque suo: lethi sopor ultimus ursit  
 Intereā Petrum: tabulis super Acta cavere  
 Neglexit Præsul: Testes si proferat, auro  
 Aut metui cedent. Hac nobis arte ligandus,  
 Captandusque senex. Placuit sententia Règi.  
 Septima post montes Dactynnæ argentea lampas  
 Descendit, redijtque dies: Tentoria figunt  
 Campo in gramineo; simul ac Regale tribunal  
 Erigitur: Consangvinei stant ordine Petri  
 Donis decepti: & fulvi splendore metalli.

Rex medius sedet, & coram reus imperat adsit  
 Antistes: pagum repetunt ceu fraude cōemptum  
 Affines, neptesque Petri tellure sepulti.  
 Tum quia deficiunt tabulæ, producere testes  
 Nititur Antistes: trepidant edicere verum  
 Corrupti testes fulvi splendore metalli,  
 Elingvesque silent. Perfunditur ora rubore  
 Integer Antistes, mens nulli obnoxia culpæ  
 Simplicitasque micant oculis: elidere fraudem  
 Sic tamen haud potuit. Sustollit lumina coelo  
 Ore residenti (tanta est fiducia causæ)  
 Et tandem alloquitur Regem, populique coronam;  
 Quando quidem mihi nec tabulis, nec testibus aptis  
 Pollicitam purgare fidem datur, æthere Numen

Omni-

Omnipotens, sapiens, verax, atque omnia cernens  
 Provoco! Prodigis illi defendere causam  
 Ut facile est, ita defendet, Petrumque sepulchro  
 Eruet, & cineres aderunt pro teste vocati.  
 Phosphorus ut crinem æquoreis ter laverit undis,  
 Purpureum gignetque diem, me Petrus ab urnâ  
 Redditus in lucem commitabitur ante tribunal.

Riserunt Proceres, Rex excipit ipse cachinno  
 Dicta Stanislai, & tumulo consurgere functum  
 Desperant: epulis triduum ludisque sacratur:  
 Artis mira suæ donec spectacula prodat  
 Antistes senior, verbisque resuscitet umbram.  
 Non tamen ingenuus ridebat ad ista Miesco:  
 Namque Stanislai clam partibus ille favebat:  
 Multa animo volvens, vespertinalisque choreas,  
 Et ludos fugiens, mensaque hoc tempore solus  
 Cum custode suo, charoque interprete solvit,  
 Perlustratque memor veterum monumenta virorum:  
 Regia si quondam functo Genitore capessat  
 Sceptra, Atavumque thronos incendat, ut inde Regendi  
 Alta rudimenta, & secretas hauriat artes.  
 Quondam etiam radio, solis, lunæque labores  
 Descripsit, terræque globum, coelique profundi  
 Effinxit mappâ: quondam placuere colores  
 Et pictæ tabulæ: rigidis minus utilis armis  
 Sic puero transacta fuit juvenilior ætas.

Pictor

Pictor Apellæâ nuper clarissimus arte  
 Heroas veteres regali pinxit in aulâ :  
 Regius hunc juvenis spectavit sæpe Miesco  
 Accessitque frequens : placuere animata colore  
 Atria , & ingenium , muri que loquentis acumen .  
 Heic Lechici pascunt oculos fundamina sceptri ,  
 Parva quidem , sat clara tamen : Jovis ecce satelles  
 Armiger , atque sacri gestator fulminis ales  
 Pingitur in nido : Lechus hunc deprêndit , & urbis  
 Condendæ capit augurium , vocemque Gniazdo ,  
 Quæ nidum sonat , in Gnesnæ vocabula vertit :  
 Urbs ea prima fuit , Lechicoque exordia Regno  
 Prima dedit . Mox pugna Craci , viridisque colubri  
 Ignea mors : priscum trahit inde Cracovia nomen .  
 Parte aliâ generosa Craci stat gnata , superque  
 Pontem marmoreum , vitro quem murmure radit  
 Vistula cœruleus se in præcepis Venda datura  
 Extremum alloquitur Superos gratesque rependit ,  
 Acceptasque refert palmas ; nam Teutonas armis  
 Contudit , & thalamos , sponsumque perosa virago  
 Princeps esse volo dicit non Principis Uxor ,  
 Sic fata egelidis Neptuno nubit in undis .

Parte alia Lescus , cursusque citatus equorum  
 Carcere missorum : Patrij tum mensa Piasti ,  
 Stagnans melle lebes , & carnis sumen aprugnæ  
 Pariete spectantur : sacro quoque fonte Miesco

Chri-

Christiadum lotus, primus qui strinxerat ensem,  
Quando Evangelicus legitur per pulpita codex.  
Nec non ex Getico tñnæ stant ære columnæ  
Fluctibus in rapidis: Russis quæ Marte subactis  
Meta Boleslao fuetant, limesque Triumphi.  
Regius ista videt, laudatque, probatque Miesco:  
Alt ubi marmoreis cubat altera fulta columnis  
Testudo auroram contra! stant mille Deorum  
Effigies, fictique implent laquearia vultus.  
Sangvine quos pecudum, quos thuris nube Sabæi  
Cœca Patrum coluit gentili more vetustas.  
Hæc juveni perspecta minûs. Docet ordine cuncta  
Interpres: muris his cernas prisca Gigantem  
Prælia, coeruleique enormia terga Draconis  
Quem clarius fudit jaculis: hic laurea Daphne,  
Hic Jo larvam formosæ induit juvencæ,  
Centoculusque Argus, Mundique incensus ab alto  
Axe ruens Phæthon. Casum miseratus acerbum  
Præsignis pueri, quis hic est, ait, axe Miesco  
Qui præceps ruit, & flamas toto æthere spargit  
Excipit interpres, mentemque adverte Miesco,  
Nunc aliquid mundi tibi prima ab origine dicam.  
Principio rerum sua cùm cunabula mundus  
Aspiceret, Chaos obscurum fuit, ut prior ætas  
Credidit, & docuit chartis, sculpsitque columnis.  
Pigra quidem tellus, levis aura, & mobilis unda

Mista-

Mistaque flamma vorax sese inter bella movebant.  
 At Pater, & mundi ingentis faber ordine tandem  
 Omnia disposuit certo, stellasque, Deosque  
 Errantes septem curvo suspendit olymbo:  
 Hinc color accessit rebus, viridissima tellus,  
 Cœruleumque fretum, & rutilus se prodidit ignis.

Æquore nant pisces, volucres capit humidus àér  
 Atq; hominem tellus: ab humo quia sumptus aquosâ,  
 Dictus homo est. Post hæc Saturno scepta tenente  
 Aurea prima fuit, simul ac argentea, demum  
 Ferrea successit celebrata Gigantibus ætas.

Hi cœlo turbare Deos juveniliter ausi  
 Dant poenas, atque illorum de sangvine pejor  
 Progenies exorta fuit: nam carne Lycaon  
 Humanâ haud veritus peregrinos pascere divos  
 Quin Jovis & jugulo tentans immergere ferrum,  
 Esse lupus meruit. Tum fluctibus obrutus orbis,  
 Solaque Pyrrha manet cum Deucalione supestes.  
 Hi silices monitu Divûm post terga vibrârunt,  
 Servâruntque genus. Sumus hinc ex marmore duro  
 Dura etiam soboles, lapidosa, & saxea proles.  
 Post ubi cessârunt atrâ cum grandine nimbi,  
 Imbribus, & cœno turpi prognatus in auras  
 Vipereus Python vulgaverat undique pestem  
 Obruit hunc superâ jaculatus ab arce sagittas  
 Delius, Esculeâ caput incinxitque coronâ,

H

Hinc

Hinc ludi celebres Pythonis cæde perempti  
 Pythia nomen habent. Victorum præmia fertum  
 Esculeum, nec enim famam tunc laurus habebat,  
 Donec in hanc conversa fuit Peneïa Daphne.  
 Postquam facta fuit laurus Peneïa Daphne,  
 Cœrulei coöunt Proceres, & tempora baccis  
 Incincti glaucas tanta ad miracula læti  
 Complosere manus. Doleat Pater, an sibi plaudat  
 Peneus ignorat, flentem frondescere gnatam  
 Cùm videt in laurum: licet omnes cornua tollant  
 Gratantes fluvij, solus sedet ille, siletque.  
 Sed neque solus erat: nam curvo in littore tristis  
 Inachus incedens plaudentes defuit inter:  
 Hic quoque deflevit gnatam, quam perdidit Jo,  
 In vaccam quæ verla fuit: tua crimina magne  
 Jupiter, incestique thori. Per rura vagantem  
 Argus luminibus centum observaverat Jo:  
 Ast Hermes Jovis imperio delabitur Alstris  
 Percutit & carmen digitis, mollibus implet  
 Argutos ventis calamos cur vitrea Syrinx  
 Capripedes fugiat Faunos, Satyrosque bicornes,  
 Pluraque sancta canit. Citharæ dulcedine captus  
 Et calamis pastor quam primum indormijt Argus.  
 Nec mora: Pastorem sopitum mittit ad umbras  
 Mercurius, ferroque extinguit lumina centum,  
 Ingemuit miserata animo Saturnia Juno

Atque

Atque mei posthac, dixit, centena pavones  
 Lumina gestabunt caudis. Post ista recepit  
 Jo foemineam speciem, vultumque puellæ  
 Atque Epaphum peperit, Jovis est prosapia certa  
 Hic Epaphus. Puerum Phæthonem sæpius ille  
 Riserat, & Matri dixit stultissima credis  
 Omnia cur Phæthon? Phæbi té semine natum  
 Ergo putas? neque certa tua est, neque certa tuorum.  
 Progenies: soli verus mihi Jupiter author.  
 His Epaphus dictis poscit Phæthonta malignis.  
 Ast puer indignans Phæthon in pignora veræ  
 Stirpis ait, da chare Pater, da Phæbe jugales  
 Flectere posse tuos: votorum hæc summa meorum est.  
 Sic ego me prodam populis, Epaphoque superbo  
 Te genitore satum. Nostros tibi tangere currus  
 Phæbus ad hæc, mi gnate licet: Si dummodo tanto  
 Par foret hæc ætas oneri, manifesta nec audax  
 In tua damna ruas! Ergo concende, Patremque  
 Me testare tuum. Mediâ tamen ire memento  
 Gnate viâ, & trito nunquàm deflectere calle.  
 His puer accensus dictis rutilantia frena  
 Corripuit, dixitque vale. Mox acribus ursit  
 Alipedes stimulis, per piæta roseta citatum  
 Auroræ dimensus iter: facilisque volanti  
 Semita prima fuit: sed ubi jam culmina mundi  
 Ardua pulsat equis, & tota vertice supra est,

Vertigo abripuit puerum, per devia currum  
 Præcipitat, terræque globo propiore receptus  
 Incendit latè populantibus omnia flammis.  
 Inde nigrum Æthiopas fama est traxisse colorem.  
 At Pater æthereas qui fulmine concutit arces,  
 Ne sua vel flammam caperent quoque regia tecta,  
 Igne ferit trifido puerum, compescit & igne  
 Et tonitru exanimat flamas: cadit ille sororum  
 Cum gemitu, & Patrias deflet tetigisse quadrigas.

Hoc, ait Interpres, loquitur, quam cernis imago  
 Audacesque monet, nunquam nimis alta minari,  
 Omnia fortunæ nec credere: casibus, inquit,  
 Tristibus ista suos immitis, & aspera vexat  
 Diva Procos: bigis quos mollibus ante levabat,  
 Cum Phæthonte premit: fragili mihi crede Miesco  
 Hæc Dea fusa vitro est: oculis dum splendet amica  
 Frangitur. Hoc vitro Procerum spes nititur omnis,  
 His ardent fictis Regum diademata geminis.

*Petrus Eques surgit sepulchro, & Episcopi  
 fidem testimonio suo purgat.*

**T**ertia jam fuscis aurora redibat ab Indis  
 Vultum picta rosis: Proceres cum Rege tribunal  
 Florigero in campo, & tentoria fixa revisunt.  
 Urbs quoque spectatrix ad coemeteria fluctu

Tru-

Truditur undanti, precibus si Præsulis umbra  
Se levet ex tumulo, multi cineresque loquantur.  
Ecce auro, gemmisque nitens, & veste decorâ  
Incinctusque caput mitrâ, comitatur euntem  
Turba sacerdotum, procedit Præsul ad urnam.  
Funereæ lucent tædæ, & funeralia circum  
Extinguuntque diem. Nabathæo thure vaporat  
Antistes, lustrat sacro ter fonte sepulchrum.  
Intenta ablegans tum cœlo lumina, muto  
Tempore stat similis longo, tandem ore profatur:  
Omnipotens, metuende Pater! qui fulmina torques,  
Cogisque atram hyemem, & nubes rugire tumulu  
Terribili, atmatumque jubes ruere æthere murmur:  
O! quem signiferæ vigilantia lumina noctis,  
Et mare velivolum, & venti, & pila didita Mundi  
Terrauei, authoremque suum, dominumque verentur!  
Et tu Christe Patris tanti certissima Proles!  
Qui dextrâ ingenti fregisti regna silentum,  
Infernusque chaos. Testis tibi Gnata Jairi  
Funereis defleta tubis, & Dite reversa  
Unica spes Viduæ, terraue refossus, & umbris,  
Ille dies quatuor tenebrarum Lazarus hospes:  
Testis & ipse tibi, cui cessit lugubre marmor,  
Morte triumphatâ terno post funera sole.  
O Christe antiquæ renova miracula dextræ!  
Christe preces audi, & præsens tua Numina firma!

Ore

Ore tuo, quis enim mortalibus arroget ista  
Viribus? hac urnæ tenebrosa nocte sepulti  
Dic, surgant cineres, testentur, & acta refellant  
Intentata mihi! Lituum post dicta verendus  
Applausit tumulo Præsul, ter & impulit urnam,  
Nomine surge Patris, Gnatique, & Flaminis almi  
Una trium quorum Deitas, Essentiaque una est!  
Surge, diemque vide! dixit, Petre, surge sepulchro!  
Ecce fide majus! tellus se scindit utrinque,  
Infernaque vomit glebas specus ore profundo:  
Tum nigra se lectica levat, qua exangue cadaver  
Dormierat Petri, quin & spirare cadaver  
Cernitur, & sua membra recens movet, atque revixit.  
It coelo clamor plangentes pectora turbæ  
Exhorrent, spectare Petrum gaudentque, timentque;  
Vixque suis credunt oculis, satiare videndo  
Quos nequeunt, dubitantque Petri sit corpus, an umbra.  
Tertia jam canis æstas florebatur aristis,  
Tertia bruma nives sparsit, sine lumine corpus  
Ex quo terra sinu complexum obscura tenebat:  
Et modo consurgit feretro, gressumque citatum  
Urget, & ad Regem sancto cum Præsule tendit.  
Diriguere oculi, pallorque volavit in ora  
Regia, stant buxo similes, ceræque recenti  
Sarmatici Proceres, Manes tellure sepultos  
Cum rediisse, throno & coram se sistere cernunt.

Inci-

Incipit, & Regem, & Proceres affatur imago:  
 Petrus ego testis, votis Antistitis adsum  
 Infonsisque fidem purgo, fraudemque refello,  
 Testor me pagum, quā nunc consistimus orā  
 In Lublinensi, venum cessisse, satisque  
 Pontificem fecisse mihi. Scit conscius æther  
 Omnia. Nil tabulis opus est: Utinamque fuisset  
 Haud opus! o fraudes! in quæ non monstra voluti  
 Succrevēre dies? nihil ultrà effatus, ad urnam  
 Extulit è campo gressum: comitatur euntem  
 Antistes, dictis populus stat territus omnis.  
 Et Rex, & Proceres gelido riguere pavore.  
 Post ubi perveniant ad aperti saxa sepulchri,  
 Ante Petrus fossâ quām descendisset opacâ  
 Multa Stanislao secretam mittit in aurem.  
 Tum feretrum inscendit, rursum frigescere membra  
 Incipiunt, surdumque gelu, pallorque recurrit  
 Funereus: Sacrate vale! cœloque Sacerdos  
 Te dilecte para: nos tempora proxima jungent  
 Æthere. Non equidem morbi, neque fessa senectus  
 Hanc lucem eripient. Superat tibi gloria major,  
 Plus aliquid divine senex tibi sidera debent.  
 Jamque vale, & Regem monitis urgere furentem  
 Né cessa. Propero lontes has linquere terras.  
 Me rursum miseræ permensum tempora vitæ  
 Elisi excipient horti, mundusque piorum.

Dixit,

Dixit, & antiquo declinat lumina somno.  
 Nec mora: cum functo Præful pia verba precatur  
 Hausit humus tumbam, vestigia nulla videntur  
 Vulneris in tellure, suâ stat mole sepulchrum.

*Boleslaum nec monitis, nec divino prodigo resipi-  
 fcentem S. Stanislaws fulmine anathematis  
 ferit, & obtruncatur à furente Rege.*

**T**Urba metu expavit manifesto tetrica corli  
 Prodigio, & Lechicas rumor circumvolat urbes  
 Voce Stanislai Petrum remeâsse sepultum.  
 Ast populi invidiae metuens, odijque maligni  
 Seque dolens digitis post hæc portenta notari  
 Ceu scelerum, fraudisque reum Rex plena pudore  
 Lumina figit humi: rarus jam deserit Aulam,  
 Et fora declinat, vitat spectacula Circi  
 Publica, nec lautis celebrat convivia mensis.  
 Poscere quin veniam, factique extinguere famam  
 Sponte suâ, & veteres meditatur ponere mores,  
 Dum ratio, tempusque sinunt. Sic visa monere  
 Umbra Equitis Petri, sub noctem sæpè recursans.  
 Sed Parasitorum scelerata licentia tandem  
 In pejora animum nutantem impellit, & urget:  
 Iras exacuunt Regis miscentque pudore  
 Antiqui flamas odij; demittere ferro

Invi-

Invisique senis maturam abrumpere lucem  
 Certatim instigant. Veteres Rex concipit ignes  
 Vulneris impatiens tanti. Ceu Mulciber olim  
 Infama depastus, largo si fonte dometur,  
 Tempore non parvo furias, animosque remittit  
 Extincto similis; sed post ubi cesserit unda  
 Incrementa capit, totisque incendia tectis  
 Dividit, ipse flagrat, flammisque relucet olympus.  
 Rex ita majores à vulnere surgit in iras,  
 Carcere nec laxat vinctos, tenebrisque sepultos,  
 Nec parcit jugulo insontum, neque mœcha perhorret  
 Turpis furta tori. Regem sedare furentem  
 Desperat Præful, portis, adituque repulsus.  
 Vota facit, duplicatque preces. Casimirus ab astris  
 Si Pater hortetur gnatum, placabilis iras  
 Ut ponat. Fer opem cœlo Casimire, Patremque  
 Te gnati testare uti! Fortuna tumultu  
 Heu nos terribili vexat! cur blanda favebat.  
 Favissetque utinam minus! ah fortuna ruina est  
 Regis, & imperij! quid belli gloria tandem?  
 Quid Lechica externis gens formidata tyrannis?  
 Si ruimus, si fata domi crudelia duris  
 Exercent odijs miseros? O nulla fuissent  
 Bella Boleslao, neque sors favisset in armis!  
 Occidimus! gemit heu! fatali quassa ruinâ  
 Sarmatia, & decus hoc regni cum Rege jacebit.

O Gnatum, Gnatum serva Casimire rogatus!  
Quid superat? quid necto moras? quid Præsule fungi  
Me vetat? Ille foro leges sine lege cruentas  
Oppressor populi fixit: Nos lege sacrorum  
Reddimus officium, mandata refigimus illa.  
Pulsavi precibus, risit, sprevitque monentem,  
Ut mea servarem respondit fulmina templis:  
Servavi, celsâ superans convicia mente,  
Nulla animum fortem lingvæ violentia fregit.  
Ast ubi conspicio in pejus ruere omnia, & omnis  
Est absurda falus, Templis jam fulmina stringo,  
Pro spe dura pati sine spe patientia stulta est.  
Imperet ac jubeat quod honestum, aut exeat aulâ.  
Ista Stanislaus, graphio peraratque tabellam  
Vulgandam cathedris. Sic vindex charta locuta est.  
Quandoquidem Regis mores, & facta patescunt  
Impia, nec Regni, nec cœli jura fidemque  
Se temerâsse dolet; sed in horas cœribus addit  
Supplicia, & cœdes; aulæque licentia tanta est  
Quanta olim, cum thure Deos placaret inanes  
Sarmatidum tellus, fuerat sub Principe nullo.  
Nos illum hac chartâ contempti Numinis hostem,  
Regni eversorem, & populi, patriæque tyrannum  
Dicimus, & talem vulgamus ubique cathedris.  
Exin sacrilego nemo se jungere tentet,  
Fulmina quin eadem metuat: Cessetque per urbem,

Aris

(S) o (S)  
Aris factus honor; sileant in turribus æra;  
Templaque clauduntur. Sic Regem Ecclesia luet,  
Dum sceleri veniam exoret, verumque dolorem.

Ista Stanislaus Templi per pulpita vibrat  
Fulmina, Christiadum Regemque rescindit ovili.  
Nec mora: regales sententia vulnerat aures  
Claudi templa seris, & turribus æra tacere,  
Urbe quidem tota, nec sacri thuris honores  
Incendi, & populo Mysteria diva negari.  
Rex fremit Eumenidum plenus, multo igne minaces  
Exarsere genæ, palletque, rubetque vicissim,  
Sedibus in proprijs retinent vix lumina sese.  
Multæ furens tandem eloquitur, turbatus & infit:  
Improbis ex cathedris ergo me Mystra momordit?  
O scelus & ferro dignum, flammisque piati!  
Crimine quo merui fulmen? quia Numinis hostis?  
Et latere hoc Numen mihi pendet aheneus ensis,  
Hæc mihi dextra DEUS. Quod non quasi foemina ploré,  
Mystra dolet, lachrymis madeamque per ora volutis?  
Ut tibi Mystra crepent latera, & rumpare dolendo!  
Ergo tibi Heros, Regesque hoc imbre madescunt?  
Vade, tuis potius cathedris hæc flumina serva:  
Quando Tænarij pueris commenta camini  
Narrabis, timidis & februa stagna puellis.  
Regni eversorem dicis, Patriæque tyrannum?  
Abs te principium cædis caper hispide sumam.

Infandum pereat caput, & mactetur ad Aram!  
 Heu nulli sumus! heu solij sacrata verendi  
 Majestas contempta jacet; dominantur in aulâ  
 Atrati pepones, fungique, & purpura squallet,  
 Cedunt sceptrâ Popis. Succumbimus! otia segnes  
 Quin agimus Reges? sât Regum gratia vixit.  
 O Furîæ ultrices, & noctis adeste sorores,  
 Imperio Manes ô sontûm cogite vestro!  
 Nigrantesque lacus inferni pandite Mundi!  
 Hilce Boleslao tellus! Sorbete ruentem  
 Tartara! Sat vixi. Fractus jam mugiat æther  
 Meque petat telis, me fulmine mittat ad umbras,  
 Nemo ita mollè jacet, quâm qui sociare ruinam  
 Cum Mundo queat. O magni rue machina mundi!  
 Obrue, meque tuo communi conde sepulchro!  
 Ut Myslæ cedam! Proceres succurrite! Regem  
 Me genuit Natura: pudet servilia ferre  
 Vincula! Pontificis Rex fulmina bruta tremiscam?  
 Ante ego quâm peream, Mystes prior ipse jacebis;  
 Hoc tibi rauce senex hoc, hoc caput ense recidam.  
 Haud procul ab ripâ, quam lubricus Istula radit,  
 Eduxit Natura jugum, scopulusque facellum  
 Impositum rigidò gestat per lœcula dorso.  
 Hic arâ in mediâ juvenis thorace coruscus,  
 Et galeâ ardenti, magno pede proterit usli  
 Corpora semiferi, & clypeo septemplice fretus,

Sor-

Sortitusque alti fortunam vulneris, bastâ  
 Transadigit costas Michâél, & colla supini  
 Luciferi, is rabiem, & spumas vomit ore cruento.  
 Cum Duce prona suo fremit infrâ lurida pubes,  
 Omnes Geryones stygiâ fuligine tinti,  
 Exululant rabidi, ignitas mordentque catenas.  
 Ædê Stanislaus sacrîs operatus in aris  
 Trans arcum pontis clâm sâpe recesserat istâ:  
 Nec Regem iratum latuit de Præsule rumor,  
 Sacra jugo montis fieri, clausoque facello  
 Clam Rege, & populo succendi thuris odores.  
 Corripit arma manu, cinctusque fatellite multo  
 Ad rupem properat furijs Rex actus amaris:  
 Horruit, & retrò se territus Istula flexit.  
 Tum Rex eloquitur meditatæ exordia cædis:  
 Me quis amat tandem? pro me quis stringere ferrum,  
 (Nam pudet hoc nostrum jugulo mersare senili)  
 Sustinet? invisumque senem demittere letho?  
 Esto aliquis comitum, cùm templa vaporat, & aras,  
 Qui metat ense Popam, jubeatque adolere profundis  
 Manibus, & cantare preces Acheronte sub imo.  
 O Mystam ex oculis auferte, & tollite nostris!  
 Projicite hanc pestem, pereat, maëstetur ad aram!  
 Imperio Regis juvenum manus occupat ædem  
 Marmoream, & temerat nudato Altaria ferro;  
 Emeritum messura caput. Sed splendor ab alto

Desflu-

Defluus, & fremitus terræ, quassumque facellum  
Misit in ora gelu, redeunt pallore notati  
Funereo, & dextras torpescere frigore surdo.  
Arrectasque horrore comas, portentaque cœli  
Mirantur, gelido prostatim corda pavore.  
Hoc ergo nostris, Rex inquit, dedecus armis  
Est super, ut fractum morbis, ævoque, ferire  
Ense senem dubitemus adhuc? ruite agmine mecum.  
Rex ego primus ero, primus bibet iste cruorem  
Infandumque caput resecabit vertice mucro.  
Fulmineum his dictis rotat ad pia Limina ferrum,  
Indigneta nefas gemuit ter porta, quaterque,  
Diraque prodebant stridentes omnia valvæ:  
Dedidicit tamen ille metum, nil Numinis aræ  
Conterrent: turbantque scelus: truculentior instar,  
Et furor, atque anîmi præceps audacia crevit.  
Jamque subingressum Divi expavere Penates.  
Musa tace in facinus quæ mens scelerata furentem  
Impulerit, præstat tenuisse silentia cædis,  
Et velo muros abscondere sangvine tintos.  
Hæc erat illa dies toti tristissima Regno,  
Quæ jus in Lechicam per sæcula bina coronam  
Abstulit, & sceptri titulos expunxit avitos.  
Hæc erat illa dies æternis digna tenebris,  
Digna Atrœ mensis, quæ solem terruit ipsum,  
Cimmerijisque umbris nigrelcere fecit olympum.

Heu

Heu lux crudelis ! Majus cum floribus annum  
Spargeret , haec sacro pinxit pavimenta cerebro  
Præfulis innocui , & mitræ decussit honores.

*Boleslaus Procerum conjuratione , & umbris  
Extinctorum territus fugit ad Ladisla-  
um, Regem Hungariae.*

**E**cce sepulchrali foedus pallore , tremensque  
Rex effert properum templi de limine gressum ,  
Proijcit arma manu , gladij lux ferrea sacro  
Sparsa cruento jacet , dextram proditque nocentem .  
Tum solus sine teste redit jam cæde peractâ  
Flammatus Furijs , aulamque reposcis inermis .  
Hirta tremore coma est , & lumina bina gelantur  
In glaciem , titubantque pedes , crimenque fatentur  
Atque metum . Sceleris timor est comes , atque satelles .  
Jam pavet , ante nefas terror quem nullus habebat :  
Et qui nullus erat contempti Numinis horror  
Jam rea corda ferit , surdo cæditque flagello .  
Interea exanimum rapuit , traxitque cadaver  
Præfulis innocui sacrata per atria miles ,  
Et scidit , & rapidis divisit prandia corvis .  
Ast aquilæ sacras rostro tutantur , & ungues  
Exuvias , abiguntque nigros clangore latrones ;  
Obscenosque canes alarum verbere pulsant .

Nocte

Nocte super mediâ donec lux lapsa per auras  
Portento monuit, campo quo trunca jacerent  
Divi membra senis. Furtim glomeratur ad Aedem  
Turba sacerdotum, discissaque membra per agros  
Dum legit, hæc eadem in corpus, mirabile dictu!  
Jam coijisse notat: tumuli monumenta sub ipsâ  
Aede fodit, corpusque sacrum tellure recondit.  
Ast Regem scelerum non una exterret imago:  
Nocturnæ strepuere umbræ, manesque sepulchris  
Extincti redeunt, & pulvinaria lecti  
Errantes circùm mentem sudoribus angunt.  
Plurimus ante alios sub opaca silentia noctis  
Ore Stanislaus torvo, colloque cruentæ  
Signa gerens cædis, stricto cervicibus ense  
Imminet, & Regem dictis compellat amaris:  
Vivis adhuc, lucemque trahis regni ultima pestis  
Et Nero? Me contrâ veteres num surgis in iras,  
Obdurasque minis frontem? neque vincula laxas,  
Nec jugulo insontum parcis? quin turpis adulter  
Ut prius impuros accendis Cypridis ignes,  
Christinamque thoro retines, cogisque minores  
Exemplo peccare tuo? Jam nigra dehiscunt  
Tartara, jam meritum descende Tyranne sub Orcum.  
Per strages rue, per Mundi te funera merge,  
Sangvinis hoc rivo flamas extingue facesque  
Fumantis Patriæ. Cineres recreare tuorum

Sic

Sic potes; hæc tumidis est ultima meta Tyrannis.  
Increpat his Præsul, simul in caput, atque jacentis  
Colla vibrat ferrum, jugulumque secare videtur.

Evigilat somnis Rex territus omne diro,  
Certaq; monstra videt, gladiumque, & Præsulis umbram  
Ingentem verbis coram sibi fata minari  
Audit & in tenebras subitò vanescere cernit,  
Atque redire iterùm, tenebris iterùmque recondi.  
Corripit è strato corpus, pictosque recessus  
Deserit, & gnati vicina cubilia poscit.  
O gnate, ultrices instant, urgentque paventem  
Æthiopum similes tenebrosis vultibus umbræ!  
Ipse necem intentat nudo mihi sæpius ense  
Antistes, vidi gladium, neque lumina fallunt.  
Qui prius impavidus Mavortis in arma ruebam,  
Quàm trepido miser? heu! sceleris quàm conscientia nutant  
Pectora? quot curis animi, quot morsibus uror?  
Carnifex habet occultos, semperque pavescit  
Conscia mens noxæ, corredit viscera testis  
Vipereus, torquetque metu, cœcoque tumultu.  
Quò fugiam? Regno pulsum, expertemque salutis  
Quæ patria & Regia tandem, quis portus habebit?  
In caput heu! Procerum conjurat factio nostrum,  
Seditione furit populus: Rex ipse sacrorum  
Ex Vaticanâ sævus me fulminat arce.  
Unius ob crimen cessatur ab omnibus Aris,

K

Quæ

Quæ sonuere prius mutescunt turribus æra,  
 Templaque clauduntur, nec fumant thuris honores;  
 Rex ego, meta odij, me singula spicula poscunt.  
 Unica spes superat misero mihi gnate, tibique.  
 Sceptra Ladislaus, Princeps mihi foedere junctus,  
 Pannoniæ tenet, hunc olim cum vixerat exul,  
 Protexi auxilijs, solio profugumque locavi  
 In Patrio, & magni confregi Cæsaris arma,  
 Tunc cùm Teutonicus ratibus per flumina miles  
 Posceret Hungariam, & Salomonem ex Matre Nepotem  
 Cæsaris assereret sceptro, Regemque vocaret.  
 Hospitij sors ille fidem, meritumque rependent,  
 Immemor haud veteris sese tutantis Amici.  
 Ergo fugam mecum celera, properabimus illac:  
 Et rapidi currus nos Budæ ad mœnia sistent.  
 Dum fera cesset hyems, melior dum rideat æther,  
 Tuta domi tibi nulla mora est; perijisse Parentem  
 Qui cupiunt patrio repetent de sangvine pœnas;  
 Atque scelus nostrum cognatâ morte piabunt.  
 O gnate, hoc dirum cœlum procul arceat omen!  
 Dixit, & adjecit, cum prima crepuscula noctem  
 Inducent, Mundoque ostendet lumina vesper,  
 Hora erit apta fugæ, paucō comitante meorum  
 Agmine proripiā gressum, currusque citati  
 Te mecum ad Budæ Regalia mœnia ducent.  
 Fortè erit, ut Patriæ, & Regno sim charior absens,

Pau-

(85) o (86)

Paulatim furiæque cadant, iræque tepescant.  
 Sæpè odia abstergit, sedatque absentia Regum.  
 Ista Boleslaus: mox nocte favente Palati  
 Evadit portâ, & nunquàm redditurus adornat,  
 Occultatque fugam tenebris; comitantur euntēm  
 Sponte suâ exilij comites, Lubomirius acer  
 Et Radivil, Lascusque audax. Abiturus amicis  
 Rex neque colloquitur; nec charæ conjugis ore  
 Captat triste vale. Parvo simul omnia claudit  
 Mandato: valeant, Regnique negotia current  
 Et sua: deserto sese mox adfore Regno.  
 Sic fatus molitur iter, penetratque repostæ  
 Fines Pannoniæ; non auro lucida vestis  
 Aut coco pretiosa nitet, sed qualis opacæ  
 Aptæ fugæ est: teritur nequé regia semita currū,  
 Sed varij dubijs scribuntur flexibus orbes,  
 Nè qua fugæ pateant vestigia. Plurima munit  
 Furtivam nox cœca viam: Dea pallida cornū  
 Semimicante diem fundit, lucemque malignam.

Diva soror Phœbi, qualem te prisca vetustas  
 Credidit, ô vivax, Rex inquit, imago Regentum!  
 Jam nova, jam media es, jam plena recolligis orbem,  
 Jamque trahis rugas, sulcoque senescis anili.  
 Talis conditio Regum est. Lux prima superbum  
 Quem videt, hæc eadem lux ultima sæpè jacentem,  
 Oppressumque gemit. Si quis mihi credere nolit,


Fata mea, & gnatum, & socios, comitesque requirat.  
Quo fugimus? quo tot spolijs, prædâque potiti  
Abripimur? Victorne fugam sub nocte capessit?  
Ergò triumphales suspendimus ad tua lauro  
Cornua, victricesque tibi Dea mobilis hastas  
Figimus hoc campo? totus quos horruit orbis,  
Ecce tegunt latebræ, nox absconditque paventes.  
O dubia atque omni semper variabilis ævo,  
Quæ quondam mihi fida fuit, fortuna Regentem!  
Hæc & plura dolens tristii Rex corde volutat.  
Septima jamque diem, solemque aurora reduxit,  
Antiquæ aspiciunt turres, & mœnia Budæ:  
Spumeus exercet sese per littora cursu  
Danubius, claræ tutator cærulus urbis:  
Inscendunt Proceres Lechici cum Rege phaselum  
Lubrica terga secant fluvij, proramque thalassæ  
Clamore advertunt ingenti mœnibus urbis;  
Ignorantque decus magnos, Regemque potentem  
Se parvâ vectare rate. Ad regalia tandem  
Tecta Boleslaus, Proceres Lechicique feruntur.  
Aulica stat pubes, Magnates nescia tantos  
Se legere hospitio. Majestas Regia lucet  
Fronte Boleslai, vestisque abscondere Regem  
Vix obscura potest: tantum decus innatæ ori,  
Tantus honos lingvæ, & facundis gratia verbis.  
Occursat lætus, quem jam docuere tabellæ

Arcanæ, adventumque Ducum gratatur, & ulnis  
 Amplexus profugum mille inter basia Regem  
 Voce Ladislaus blandâ prior obvius infit:  
 Salve ô! Pannonij Custos fortissime sceptri  
 Nostræ Gentis amor! toto clarissima mundo  
 Dextra tua est: Quondam Tu fessis anchora rebus  
 Solus eras: Regni Tu spesque, salusque labantis.  
 Hoc regale tibi, Rex inclyte, debeo sceptrum,  
 Ista corona tua est. Dum surgent aurea cœlo  
 Sidera, apud memores tanti quoque gratia facti  
 Immortalis erit. Soboles formosa Miesco,  
 Gnate Patris tanti, Lechicæ spes altera gentis  
 Tu quoque faustus ave! Proceres salvete Poloni!  
 Gratulor hoc tandem mea tempore vota beati,  
 Obsequia ut referam meritis, gratesque reponam.

Exin panduntur maculosis splendida saxis  
 Atria, regalem sumptu spirantia fastum:  
 Atque Boleslaus jam sede receptus amicâ,  
 Securusque fugæ, vestis mendacia ponit  
 Obscuræ: chlamide, & croceo velatur amictu,  
 Ostro ardent humeri, vestis quoque fulgurat auro  
 Interior, capitisque decus regale smaragdis  
 Omne viret, prædâ Garamantide tempora lucent:  
 Tum digitis indit gemmas, & pondera collo,  
 Fulmineumque ensem suspendit divite zonâ.  
 Par cultus gnato, qui secum regia defert

Dona

Dona Ladislao. Ducibus se jungere tantis  
Pannonij certant Proceres. Convivia, saltus,  
Et ludi celebres, & ficta geruntur in aulâ  
Bella. Boleslaus testatur gaudia vultu,  
Corde premit vulnus, coecos animique tumultus.  
Castrensi quondam resonare per avia cornu  
Perque juga, & saltus, dum solaque saxa vagari,  
Hortarique canes placet, & formidine cervos,  
Atque ursos agitare feros, & dente timendos  
Sectari delectat apros, damasque fugaces.  
Fallere quondam etiam tempus prædantibus hamis,  
Retibus & placuit pisces, & ducere seta.  
Jamque adeo in silvas iterum, dum crafina surget  
Æthere lux, Reges geminos Diana vocabat.



De

DE  
**BOLES LAO II.**  
**REGE POLONIAE,**  
**L I B E R III.**  
**A R G U M E N T U M .**

*Boleslaus cum Miescone filio in Hungariam profugus, recreatur Venatione, & Ludo Theatrali; Monetur in somnis, aulam Ladislai ut deserat.*

**P**ostera lux furvas Cœlo dimoverat umbras,  
 Solque nova evigilans in montes spicula misit,  
 Nocturnæ roris lucent in gramine guttæ.  
 Mœnibus egreditur radians fulgentibus armis  
 Examen juvenum: telluri impressa videntur  
 Roscida signa pedum. Pulcherimus ipse Miesco  
 Se comitem adjungit: corytus pendet, & arcus  
 Aureus ex humeris, stellatis pallia limbis  
 Collucent virides imitata colore smaragdos.  
 Præpete raptus equo secat ille celerrimus Austros  
 Con-

Consortesque viæ longè post terga relinquit.  
 Gramineus juvenem decuit color, atque virenti  
 In chlamyde ante alios formosior emicat omnes,  
 Spumantem seu frenet equum, sublimis habenis  
 Se rapidum effusis agat, emittatque volucrem.  
 Dictæ juvenem stupuere in monte sorores,  
 Iblaque sidereos miratur Delia vultus.

Ergo iter ingressis ficti prænuncia belli  
 Æra dedere sonos: Dianæ carmine montes  
 Intonsi, & valles circùm fremuere profundæ:  
 Si faveat Dea, si prælens venatibus adsit!  
 Horret ab illicibus densis post moenia Budæ  
 Sylva capax ævi, cœlumque intercipit umbrâ.  
 Hic nigra fulminei posuere cubilia, prædam  
 Et natis vexere suis in saltibus apri.  
 Postquam lecta manus juvenum, pulcherque Miesco  
 Obscurum tetigere nemus, stant ordine nexi  
 Prædâ avidi centum, & mordent sua vincla molossi.  
 Candidior Leucon nive, nocticolorque Melampus,  
 Quæque lupo concepta fuit Nape, Oribasus asper  
 Arcadia de gente satus, Gheronque, Dromasque,  
 Et Thous, & pecudes quondam, nunc lustra secuta  
 Poemenis, & Tigris, & Pterelas, & acutus Hylætor,  
 Atque Melanchætes, pedibusque citatus Aello;  
 Et Lachne Spartana, ursam quæ nuper in antro  
 Deprendit, centumque alij quos longa referre

Nos

Nos prohibet mora. Concludunt indagine silvam.  
 Collecti agrestes, & tendunt lina plagarum.  
 Mox quā luminibus vacui patet area campi,  
 Atque nigris fugēre feræ de saltibus actæ,  
 Byssina panduntur gemino tentoria Regi:  
 Jactus abhinc teli proprietor, celerisque sagittæ  
 Si qua fugam arripuit fera, si conterrita gressum.  
 Verterit, aut gelidum polcat jam saucia fontem.  
 Dum loquor auratis Reges in curribus adsunt  
 Belliducum comitante globo. Prior ipse Miesco  
 Desilit alipede ex alto, seque obvius infert,  
 Atque Ladislai dextræ prior oscula figit.  
 Rex juvenem amplexus, spolium quām nobile, dixit,  
 Saltibus his reperi! nemorum tu præda Miesco  
 Salve prima mihi! rigidis dum parcitur armis  
 Ludicra te recreent hæc otia, Martis imago  
 Prima tui. Silvas juvenis certamine misce,  
 Exploraque feras donec volventibus annis,  
 Desidia impatiens prodet se mascula virtus.  
 Sic Patrias juvenis laudes haud degener imple.  
 Miesco debhinc Patriæ fixit quoque basia dextræ,  
 Et duxit geminos picta ad tentiora Reges:  
 Jamque tubæ rauco cœlum increpūre canoræ  
 Luco prosiliunt medio in certamina turpes  
 Setigeri, duplii concurrere dente parati.  
 Et duris bifidum rostris haurire verutum.

Innixi exspectant hastis nexo ordine centum  
Armati agrestes, resonique hortatibus æris  
Irritant rabiemque canum, rabiemque ferarum.  
Tot nemorum monstros juvat acre movere duellum.  
En per aperta ruit, quasi fulmen, & orbibus orbes  
Implicitat (exclamant juvenes) magis hispida præceps  
Bellua rumpit iter, neque furca, neque hasta ruentem  
Impedit: excipiunt fusi per terga molossi  
Præcipitemque globo incingunt, stipantque, premuntque;  
Bellua sed rapido prostrans omnia cursu  
Dissipat ore canes: irati illi ære mordent,  
Sub medijs pingvemque dolent vanescere prædam  
Dentibus, atque novis vallem baubatibus implet.  
Saltibus ista quidem se bellua condidit atris:  
Ast iterum gemini truculento dente timendi  
Præcipitem secuere fugam de montibus apri.  
It cœlo clamor juvenum, sua tela tenentum  
Hortantumque canes: respondet faxea rupis  
Echo lingva cavæ, pronæque per infima vallis  
Urget odoris equos resonis hortatibus umbros.  
I Tigris! I Pterelas! I Spartæ gloria Lachne!  
Rumpe moras tua, rumpe moras, tua Pamphage præda est.  
Tum veluti vacuas contorta sagitta per auras  
Effugit, & procul hinc cava nubila dividit alis;  
Ac veluti propero surgentem turbine ventum  
Te prope flare putas: sed dissipata verrit eundo

Ille

Ille fremens procul, & furijs jam rauca pererrat  
 Æquora: Sic rapuere pedes, nusquamque videntur  
 Pamphagus, & Lælaps, & acutæ vocis Hylactor,  
 Et Tigris, & Pterelas, & Spartæ gloria Lachne:  
 Bellua sed rapido prætervolat utraque cursu  
 Latrantes, vano crepuerunt verbere malæ,  
 Sistit aprum tandem depensa mordicus aure  
 Pamphadus & tenet, & fixos in vulnere dentes  
 Implicat, atque fugam, cursusque moratur anhelos,  
 Insimul, & Leucon, ferrugineusque Melampus,  
 Et Corylax, stabuloque vigil sub nocte Lycisca  
 Oppresere feram: nil prolunt robora dentis  
 Fulminei, numero concessit barbara virtus.  
 Approparet celer, inque feram venabula mittit  
 Et lethale fodit vulnus Lubomirius acer:  
 Hoc habet! exclamat victor, ferrumque recondit.

Protinus atque alij nigris è saltibus acti  
 Dilapsi ad Regum tentoria picta seruntur.  
 Hos jaculis avidi, missisque ferire sagittis  
 Concertant Proceres: ventis post terga relictis  
 Diffugere alij, sed equis hos aulica pubes  
 Insequitur; volat ipse celer, pugnamque Miesco  
 Instaurat, profugos jaculoque vibrante lacescit,  
 Quinque Boleslaus truculento dente timendos  
 Demisit, totidemque neci dedit ipse Miesco:  
 Rex quoque Pannoniæ telo tres fixit acuto

Spumantes fuditque feras. Volat ecce citatus  
 Grandis aper, Regesque petit, jam saucius hastam,  
 Ore premens fractam, quam vulnere traxit ab ipso:  
 Cum catulis hirsuta parens comitatur euntem.  
 Ille furens mediâ catulos circumspicit irâ  
 Et fremit, & Regum jam vulneris immemor hastas  
 Involat: assistunt turpes cum conjugè nati.  
 Figit aprum noster certi Rex cuspide ferri  
 Et medium fodit. Ille animam vomit ore cruento,  
 Dumque animam vomit, est factò crudelis in ipso:  
 Namque novo insertam jam vulnere tardior hastam,  
 Comminuit morsu: tandem cum vulnerè lucem  
 Regibus & spolium catulos cum matre relinquit.  
 Ter centum & plures confixi præda jacebant  
 Setigeri, primosque altis de montibus ignes  
 Noctifer ostendit Mundo dans otia vesper.  
 Victores redeunt ad Budæ moenia Reges,  
 Et Proceres in equis; in plaustris lecta sequuntur  
 Silvarum spolia, & venantûm exercitus omnis

*Comœdia gratiâ Boleslai in Aula Regis  
 Hungariae exhibita.*

**A** Ltera jam coeli facies, minus apta Dianæ:  
 Acre gelu jam mordet humum, jam stiria tectis  
 Dura riget; cœunt pîcosa fluenta Tibisci,  
 Ister concretas truditque pigerrimus undas.

Ergo

(89) o (80)

Ergo urbes, fertumque forum, & spectacula Circi  
 Mimica delectant: redeunt solemnia Bacchi  
 Orgia thyrsgeri: Larvatis Empusarum  
 Vultibus incedunt cives, manifesta phrenesis  
 Hæc quoque Magnates hodiè, Proceresque perurit.  
 Excipiunt epulas cithatæ, citharasque choreæ,  
 Et Plauti antiqui nugis strepuere theatra.

Ex Aulâ Rex Pannoniaæ quæ despicit hortum  
 Scenica se pictis testudo superba figuris  
 Exsplicat, & Prothœi quasi vultum in tempora mutat.  
 Jam mare velivolum, & scopuli cernuntur in illâ,  
 Nunc urbes, nunc castra Ducum, nunc lusira ferarum,  
 Nunc Regum auratae turres, Pariæque columnæ,  
 Elisijs fragrant picti modo floribus horti,  
 Heclæ jam flamas mentitus ructat avernus,  
 Quondam & Pampinei spumare apotheca Lyæi  
 Cernitur: hæc bibulis semper gratissima Mimis  
 Ultima Scena fuit. Regali Morio in aula  
 Grandia Panthosophi Argivi qui numina sumpsit;  
 Vixerat: Hic Storacem calamo, quem nescio, pinxit,  
 Inque dedit Scenam. Totam vulgatur in urbem  
 Fabula dicta Storax. Populi fluit unda frequentis,  
 Virque premit, premiturque viro, cursu, atque recursu  
 Urget & urgetur, seseque reciprocat unda:  
 Matres cum pueris, ostendunt singula matres  
 Nam pueris, cum Nobilibus plebecula vilis,

Mixti

Mixti cum Dominis adsunt ex rure coloni.  
 Ast gemini in sellis Tyrio flagrantibus ostro  
 Consedere simul lœta ad spectacula Reges.  
 Agmine Pannonidum cinctus, Procerumque corona,  
 Post Reges primus sedet, auscultatque Miesco.  
 Cantrices sonuere tubæ, quassataque murmur  
 Tympana cum sonitu rauco, fremituque dedere.  
 Progreditur Scenâ ( tenuere silentia cuncti )  
 Nympha manu citharum feriens, & carmina pulsans  
 Cincta caput laurû: Hæc roseo sic incipit ore:  
 Salvete, o! gemini Divorum proxima cura,  
 Magnanimi Reges! Proceres salvete, Ducesque!  
 Mimos Imperio festivos cedere vestro  
 Aggredimur: Recolit sua Suturnalia Mundus,  
 Cum stulto ad tempus juvat insanescere mundo:  
 Fingere se stulto stultum sapientia prima est.  
 Haud placet in scenam procedere Syrmate nigro,  
 Nec furere ex pelvi, aut natos apponere mensis,  
 Et cum Medea regale incendere tectum,  
 Lœta jubet tempus, cum tempore carmina spirent  
 Lætitiam: Venit, ecce, Storax: Comœdia tota  
 Ex illo est. Dicet pro semet plura: faceſſo,  
 Et me proripio: lingvis animisque favete!  
 Exin progreditur pro ſe, pro ventre locutus  
 Multa ſuo veteris Parnassi nobilis Heros,  
 Et Pincerna Storax: Sequitur Malcolmus, & uxor  
 Nomi-

Nomine Rhetorica; ad dextram sedet ipse Stropultus  
 Rhetoricæ Procus, & Dominæ fert basia furtim.  
 Nunc scenam, & seriem rerum mea Musa recense.

*Fingendus est hic loci, ne antiqua canamus semper,  
 Boleslaus modernam spectare Comœdiam: nam  
 ea, quæ hic per jocum recensentur, temporibus  
 Bolestai non coherent.*

**T**Empore quo brevibus fese nox incipit atra  
 Præcipitare rotis, & lux altissima cancro est,  
 Nonnemo errabat sylvis Heliconis Alumnus,  
 Rura petens Patriæ, Storacem dixerè sodales.  
 Heu me! Quàm miserum, dum solibus omnia servent,  
 Dixit, inire viam? Salsus quàm corpore toto  
 Depluit, ipsa natat vestis mihi credite, sudor.  
 Strangulat arentes vapor, & sitis ignea fauces  
 Si modo flumen aquæ, si frigora fontis adessent?  
 Ista gemens secum platani procumbit in umbrâ,  
 Proque gelu fontis ramorum frigora captat.  
 Cuncta silent, nullæ nemorum motantibus auris  
 Perstrepere comæ, neque garrit in arbore nidus,  
 Nec folium vento, nec graminis herba movetur.  
 Sic ubi consedit langvens Heliconis Alumnus,  
 Fortè aliiquid quasi murmur aquæ dubiâ excipit aurê:  
 Surgit, & hue illuc sua lumina circumflectit,

Si bi-

Si bibat aure sonos? & jam vicina videtur;  
Jam procul unda; nihil jam percipit, omnia mutum.  
Sunt nemus, atque iterum strepitus manifestior aures  
Verberat, è montis lapidosa vertice torrens  
Ceu præceps ruat, & scopulos, & saxa voluet.  
Pergit iter coëptum quo fert via, valle profundâ  
Descendit, linquitque nemus, collemque supinum  
Lumine contingit. Streitus jam clarior aures  
Personat, & lymphæ fuga monte ruentis ab alto.  
Silicet Arx impôsta jugo, subtusque jacentis  
Tecta molestrinæ, visusque ascendere fumus  
Ex furno Storacem spe non laetabat inani.  
Sic igitur secum: Turres, & Moenia celsæ  
Arcis ego video, Dominus dominabitur arcis:  
Ille procul dubio fuerit de gente Latinâ,  
Qualis ego, simili similis simul ipse favet:  
Qui favet invitat, nec raro ad prandia cogit;  
Ergo invitabit, nos ergo ad prandia coget.  
Spumant Magnatum generoso prandia musto;  
Musta domant, jugulantque sitim. Quin ergo petenda  
Arx mihi sit, Dominusque Arcis, conclusio facta est.  
Temporis interea cum spe quid dispergo vana?  
In puteum spes sæpe cadit, ceu solis imago  
In speculum, radius tantum, non flamma resultat.  
Me strepitu mola credo vocat. De stemmate nati  
Sæpè domi non sunt, Regumque morantur in aulis;  
Esse

Esse domi se s̄epe negant, licet ante fenestras  
 Observes clausisse suas: S̄ep̄e hospite multo  
 Cinguntur, noctemque trahunt lucemque bibendo.  
 S̄ep̄e parūm docti Phœbi commercia vitant,  
 Oderunt Musas ornati murice truncī.

Deinde globos castro nulos ascendere sumi  
 Conspicio: peregrinatur puto nobilis Heros,  
 Et Lauretanam voti reus ivit ad ædem.  
 Res mala si furno nebulas ascendere nullas,  
 Et nulos corlo videam fumare caminos.

Hoc me Præceptor, Pater hoc me grandior annis  
 Edocuit, semperque lares, & tecta subirem  
 Dixit, ubi nebulæ, signum est fervere culinas.  
 Certius hoc omen, quām Cælo manè rubente  
 Astrologi pluvias, ventosque minentur, & imbres.  
 Ast molitor contrà, cuius fumare caminum  
 Jam pridem observo, certam me suscitat in spem.  
 Magna domus, multique greges, sit dives oportet,  
 Setigeri pingves, teneri cum matribus agni,  
 Et Junonis aves, anates per cœrula nantes,  
 Cornicem auroræ gallus, timidæque columbæ,  
 Et Capitolinâ quondam vigil anser in arce.  
 Omne genus currit, volat, aut natat amne secundo.  
 Hæc super est hortus, laetucas surgere crispas,  
 Mollesque asparagos video molitoris in horto,  
 Non etenim in varios topiaria secta recessus,

M

Aut

Aut pictos florū tumulos, pugnasque colorū  
Curant ruricolæ, Pario neque marmore fontes  
Ædificant, coecasque vias, quas fraudibus olim  
Dædalus implicuit, sed quæ servire culinæ  
Possint, illa colunt, stomachum, non lumina pascunt,  
Adde, quod urbani, civiles, denique gratis  
Prandia sæpè parant: Quin, quod mirere, refecto  
Dant, quæ cras cōmedas, & peram carnibus implent.  
Non tamen hic mos est Patriā coeloque sub omni.  
Plurima sermo potest bonus, & facundia lingvæ.  
Hæc, & plura Storax tacito sub corde volutans  
Finierat, puteumque altum propè tecta videbat,  
Egelidis qui nabat aquis. Nunc proxima cura est  
Extinxisse sitim: longo mox fune ligatam  
In laticum venas demerserat impiger urnam,  
Confusus coeco clamor, quasi mille gementūm  
It fundo, & streperum crispans cum murmure murmur  
Plurima se laxis impacta reduplicat echo.  
Tum vitræ in lucem putei de nocte profundâ  
Assurgunt lymphæ, funemque sequuntur anhelum.  
Haustus aquæ mihi Nectar erit! nec plura locutus  
Dulce gelu bibt, & plenâ se proluit urnâ.  
Frigidus appropriat siccis pulmonibus humor  
Et totum recreat Storacem; ceu grama nimbus  
Suscitat, ac veluti pluvias glomerantibus Austris  
Quæ fuit icta tuis Procyon sævissime telis

Inci-

Incipit alma Ceres rursùm se tollere cœlo:  
 Sic priscæ Storacis redeunt in corpora vires,  
 Masculus & circùm bullit præcordia sangvis.  
 Postquàm extincta sitis puto, succedere latus,  
 Liminibusque inferre pedem parat: omnia clausa  
 Sed videt attonitus, querno mox robore portam  
 Terque, quaterque quatit, gemuitque à verbere porta,  
 Inclamans: Heus nemo domi! non audior ulli?  
 Mox iterùm tundit, veteresque ferocior iectus  
 Ingeminat, si fors molitor dormitet, & uxor  
 Sola domum servet, firmârit & obiice postes.  
 Parva puellaris vox tandem fertur ad aures:  
 Vade in pace, domi, frustrâ quatis ostia, nemo est:  
 Quippe urbem molitor primâ sub luce petivit,  
 Nec, credo, redditurus erit, nisi vespére sero.  
 Territus obstupuit, totusque ad dicta puellæ  
 Concidit, & mœrens tulit insolabile vulnus  
 Sollicitâ jam mente Storax, ubi prandia sumat?  
 Irrita vota jacent, altum ruit in puteum spes.  
 Se tamen alloquitur, solatur & aspera fata:  
 Cura viri fortis, dixit, compescere fluctus  
 Surgentes animi, & vultus simularè serenos  
 Nesciat hic animus succumbere casibus atris!  
 Libera mens mihi semper erit, dum vita manebit.  
 Navibus exustis ut quondam Trojus Heros  
 Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem:

Talis ego, seu læta manet, seu sumit acerbos  
Nescia stare loco fortuna levissima vultus  
Semper ero, & caput hoc superabit nulla procella.  
Quid? molitor muros urbis, portasque petivit:  
Credo equidem; sed quis promsit, fama unde profecta  
Ista fuit? tales quis fudit ab ore loquelas?  
Fœmina. Mentiri, falsum jurare puellæ,  
Sicut flere sciunt, & nere, nihilque tacere.  
Nec redditurus erit molitor, nisi vespere sero:  
Hoc iterum asseruit mendax puto fœmina, cœnam  
Ne daret, atque alibi capiam sub nocte quietem.  
O compacta dolis, versuta, & callida vulpes!  
Fœmineam constans vincet patientia fraudem,  
Cunctabor, nectamque moras, hærebo, manebo,  
Dum redeat, fortasse brevi remeabit ab urbe,  
Et dicet: Nostris succede Penatibus Hospes.  
Siqua domus crassâ volvit caligine fumum,  
Non ita migrandum facilè, & peregrina petenda  
Limina, promittunt convivia lauta culinæ:  
Ex fumo flamas, ex flammis colligo cœnam.  
Quidquid erit, removere pedem, vestigia tergo  
Vertere, me in saltus veteres lucosque referre  
Non licet. Est aliiquid semet servare secundis  
Casibus, & sortem contemnere posse novercam.  
Plura, & plura Storax secum dum dicit, anhelâ  
Fertur ab ancillâ, dominæ ad mandata volante,

Ampho.

(S) o (S)  
 Amphora purpureo, produnt crystalla colorem,  
 Plena mero, atque aliquid calatho quoque virgo ferebat;  
 Hæc ingressa domum post se quoque limina clausit.  
 Infrendit spumatque Storax, furor ossibus ingens  
 Ardet, & in furias omnes effundit habenas.

Vina bibant, epulasque parent, absente Marito?  
 Omnia sunt suspecta mihi. Quin audio murmur,  
 Nescio, quale lyræ? plaudunt, tolluntque cachinnos,  
 Blandè compellant, & byssina verba loquuntur.

O! si vel parvum mi mure foramen haberet,  
 Si pateas usquam paries ævoque dehiscas,  
 Inspiciamque domum! Vix hæc edixit, apertum  
 Ætatis vitio muri deprehendit hiatum.  
 Huc celer approperat non observatus ab ullo  
 Inque domum totam per rimam lumina mittit.  
 Mensa intus, juvenisque sedens pulcherrimus ore,  
 Ille lyræ carmen digitis percussit eburnis.  
 Fama volat juvenem nomen tenuisse Stopolci,  
 Scriba fuit, scribamque Arcis vicinia novit.  
 Non procul ipsa sedet consors molitoris, & aures  
 Arrigit, argutumque melos, jucundaque laudat  
 Fila lyræ. Varijs resonat concentibus àer;  
 Jam sœvique, trucesque modi, quasi in arma citati  
 Mille ruant pugiles, moduli nunc barbiton implet  
 Jonij, fracti, molles, & amoribus apti.  
 Langvida jam sonuit vix una, atque altera chorda  
 Negle.

Neglectim percussa: chorus nunc infremit omnis,  
Et digitii celeres fugiuntque, volantque, ruuntque  
Fila per & nervos, resuurrant carmina nervis.  
Lauta dapum vario titubat quoque mensa paratu,  
Rustica sit quamvis. Pullos, gallumque spadonem,  
Atque anates mulier lentum gyravit ad ignem:  
Nec non asparagos solers ferventibus undis  
Crudos perdomuit: Longa quoque cuspide fixit  
Porcellum pingvem, clunesque & terga parentis  
Setigeri, ac nigro siccata tomacula furno  
Addidit: In primis multo conspersit olivo  
Lactucas, magno quibus est à Cæsare nomen;  
Ovaque disposuit circum: Piscator aquoso  
Nuper, ait, quidam grandes mihi littore cancros  
Detulit, idque senex dixi, nescire maritus  
O mea lux! debet, tibi clam servavimus istos.  
Omnia per rimam videt, & satiare videndo  
Se nequit exclusus tectis Heliconis Alumnus.  
Mandato Dominæ, gelidis recreata sub undis  
Amphora plena mero mensis infertur, & illam  
Ad puteum, portamque sedens jam lumine torvo  
Viderat antè Storax. Molitrix tum grandia poscit  
Perspicui crystalla vitri, laticemque rubentem  
Infundit, primamque Proco libare salutem  
Gaudet, & o! oculis, dixit, mihi charior ipsis,  
Vive, nec ulla dies à te me separet unquam!

(O!

(O! ubi pacta fides, ubi sancti foedera lecti?)  
 Jamque datura scyphum fuerat, phialamque Stopolco,  
 Ecce citata volat pernicibus ignea plantis,  
 Et Dominam affatur trepidis ancillula dictis:  
 O Domina! Urbe tuus relegens vestigia Conjur  
 Improvisus adest. Jam jam pede limina tangit!  
 Vidi ego, nec fallor, neque mea lumina fallunt.  
 Hæc ubi Virgo refert, molitor ter fuste trabali  
 Percussit portam, clausamque recludite, dixit,  
 Expavit mulier, manifesta exterrita vocē  
 Conjugis, attonitæque metu tremuere ministræ:  
 Ipse pavet Proculus, & perdit cum voce colorem.  
 Ut quondam piceâ deprensus nube viator  
 Pallet, ubi sacro vicinam sulphure quercum  
 Arma Jovis sternunt, cœlique ruente tumultu  
 Omnia sunt murmur, terror, fragor, horror, & ignis:  
 Sic trepidare metu cuncti molitoris ab irâ:  
 Omnibus arrecti cœlo riguere capilli.  
 Exemplô removere dapes, Bacchique lagenam,  
 Ingentem tenebris ascondere, tollere mappam,  
 Et lances, orbesque labòr fuit. Arripit ipsa  
 Purpureo molitrix spumantem Nectare trullam,  
 Atque ubi se tollit vulcania vertice fornax  
 Amphora nunc vini, tua munera Bacche, locatur.  
 Porcellum, & citharam, non jam velut ante sonoram,  
 Et mappam, & gabatas celeri rapit altera dextrâ,

Arcâ

Arcā demittens veteri, rapit altera pullos.  
Atque anates secum, Dodoneasque volucres:  
Quin & retrogradi fiunt post funera cancri.  
Non fornæe procul stat ligneus urceus ingens  
Balnea quo fiunt pueris, & lina lavantur;  
Ille carebat aquis; Invertit Scriba Stopolcus  
Vas grande, inque globum flexus sese abdidit illo:  
Digna domus Domino, sat digna latebra Stopolco.  
Implumes, bipedesque tuæ Plato docte magister  
Sic capiuntur aves, homines quas ecce putabas.  
Junonis Custos, habuit qui lumina centum  
Nunc cupid esse Storax, serpensque Epidaurius esse  
Mille velit votis; trepidis ut vocibus aurem  
Præbeat, & timidâ videat, quid agatur in æde,  
Ira, metus, formido, pavor, tremor, horror ubique est.  
Hæc inter molitor crebro quatit impete portam,  
Jamque moræ impatiens: referate Diespiter! inquit,  
Aut ego. Mox frontem rugis majoribus armat,  
Flagrorumque nimis conjungit fulmina lingvæ.  
Territa procedit conjux, ferrata reducit  
Robora, plena metu, fictum digitisque soporem  
Ex oculis tergit: Salve Malcolme! ( gerebat  
Hoc molitor noinen ) quid nunc, ubi maximus æstus,  
Urbe redis? serâ redditurum nocte putabam.  
Intereâ parvus vicit mea lumina somnus.  
Cuncta ubi per rimam, bibulas cui commodat aures,

Edidi-

Edidicit: Nunc hora favet, nunc ferrea candel  
 Massa, Storax inquit, mordaci forcipe flammis  
 Eripiam, cudamque mihi faber ipse faventis  
 Fortunæ vultum. Sortis proverbia jactant  
 Vulcanum sibi quemque suæ. Mihi prandia sient,  
 Cœnaque, purpureumque merum. Tibi parva flagellum  
 Conficiam mulier, tectum quæ dura negásti.  
 Nec te, quo latitas, sat proteget urceus ingens  
 Scriba Stopolce tuus; digitis nunc altera mœstus  
 Carmina percuties, palmasque ad sidera tendes.  
 Ore nites fateor, qualis dum gurgite crinem  
 Coeruleo lavat & coelo matturimus exit  
 Lucifer, aut qualis surgens novus æthere Titan  
 Extingvit stellas radijs: Nunc exue crines,  
 Cincinnosque tuos, larvam nunc deme Stopolce,  
 Doëmona jam finge, & veteri sis nigrior ollâ!  
 Hoc erit in votis. Brevis est mora: carmine nigro  
 Spirantem ad Manes, & ad ultima Tartara mittam.  
 Dulcè canis digitis, qualis crinitus Apollo  
 Personat, Aoniæ quando fecere choream,  
 Unanimesque simul ter tres cecinère puellæ,  
 Non tibi tot Nymphæ, non tot tibi scriba puellæ,  
 Unica Malcolmi suffecit perfida conjux:  
 Nunc miser exspecta tenero pro carmine fustes.  
 Hæc ubi fatus erat Malcolmo tecta petenti  
 Succedit, nudatque caput, blandusque renidet,

Seque seni jungit, verbisque minoribus infit:  
Non exspectatam vagus advena dico salutem!  
Quam potes, hanc oro veniam impertire precanti,  
Prona super medium jam lux processit olympum,  
Sub tectis concede tuis hanc carpere noctem.  
Malcolmus senior contra sic farier orsus:  
Qui genus? unde domo? quas te via dicit in oras?  
Maturat responsa Storax, redditque vicissim:  
Urbs populosa viris, & moenibus ardua celsis,  
Salsipolim appellant, fluit hic Sal divite venâ,  
Me tenuit, studijs operantem Heliconidis undæ,  
Inque scholis septem mihi jam numerantur aristæ:  
Nunc Baro sum Liber, tempestas dura flagrorum  
Cessit, Aristotelis Logicus nunc organa pulso.  
Jam modò me Natale solum, Patrijque Penates  
Accipient, dulcem mihi cura revisere matrem,  
Et, si gaudet adhuc grandævâ luce parentem.  
Unica tres fratres Mater, totidemque sorores  
Progenuit, gemini pugnant sub Cæsare fratres,  
Natu ego postremus, nuper mihi munera, bursam  
Argenti, tunicasque novas, & pallia misit:  
Sic Patribus magè semper amant sua pignora matres.  
Fortè petis nomen? sacro dum fonte levarer,  
Quale fuit Patruo, Storacis mihi nomen adhæsit.  
Nunc his erranti, nec iter, neque semita nota est,  
Sedibus, ô! dignare tuos referare penates!

Ingrē.

Ingredere! & cœnam cum conjugé divide mecum,  
 Dixit ad hæc molitor: vestræ me Nomina Musæ  
 Declinasse scholis olim quām sæpè recordor?  
 Tristibus ast scannis hærere, & pulvere nares  
 Atque solœcismis miseras cruciare papyros  
 Displicuit tandem. Bellum cum gente feroci  
 Turcigenūm, & prædas victor tunc Cæsar agebat.  
 Omnia Pannoniæ sonuerunt oppida plausu.  
 Mox mihi cum ferro ferulas mutare crepacés  
 Proque levi pennâ fortem vibrare bipennem  
 Ardor erat. Præceps ruit in sua damna juventus.  
 Tertia me rigidis æstas toleravit in armis:  
 Sed Mahometigenæ post tertia prælia fracti  
 Cæsare pacato, pacem oravère Viennæ.  
 Saucius, & squallens, lacer undique!, & indigus æris  
 Excessi castris: Multi spolia ampla tulerunt,  
 Argentumque ingens, sed me Fortuna fefellit.  
 Fata domi genitor subiit, soletur ab alto  
 Omnipotens functū! ille molam hanc, tectumq; reliquit,  
 Horreaque, & lætis flaventia messibus arva,  
 Æs quoque non magnum. Plenis adoleverat annis  
 Non procul hinc virgo, quæ sit magè garrula, nullam,  
 (Jupiter est testis!) latè vicinia novit.  
 Compta tamen, genitore simul locuplete creata:  
 Hanc ego confortem thalami mihi foedere junxi.  
 Garrulitas illi, studiumque immane loquendi

Nomina Rheticæ imposuit, vicinia tota  
 Rheticam appellat: Titulo sibi fœmina plaudit.  
 Illa mihique, tibique Storax gratissime mensam  
 Mandato, iulsùque meo festina parabit.  
 Interea secti placeat tibi lamina casei,  
 Has quoq; frange nuces, Cererem neq; sperne nigrantem.  
 Malcolmi post dicta, Storax sic ora resolvit:  
 Quàm mihi jam vultu ridet Fortuna sereno!  
 Et Zephyri spirant ex omni parte beati.  
 Haud opus est Malcolme, foco supponere ligna,  
 Rheticamque nigrâ niveam lassare culinâ:  
 Ars mihi, quam nescis, epulas coenasque parandi  
 Rarior est: Verbis tantum mihi prandia fiunt  
 Lauta satis, spumat ruber ad mea dicta Lyæus.  
 Experiar. Nondum pede disfluet hora fugaci,  
 Atque hanc, si fallo, feriat me Jupiter igni!  
 Verbis facta meis onerabunt fercula mensam.  
 Si dolus est dictis, rapiat Proserpina vivum!  
 Ad Storacis voces Malcolmus saxeus hæret,  
 Rheticamque vocat: nostris en sedibus Hospes  
 Appulit ô Consors! Res plena stupore, nec ullis  
 Cognita temporibus! nudis qui lauta parare  
 Prandia, purpureumque merum scit fundere verbis.  
 Ars nova, prodigium insolitum, mirumque relatû!  
 Territa conticuit Malcolmi garrula Conjux  
 Obriguitque metu, si viderit omnia præsens,

Irato-

Iratoque seni referat Parnassius Heros?  
 Jam non flexanimo pollens sermone vocari  
 Rhetorica, & Marci Ciceronis filia gaudet:  
 Sed stupet, & subitus metus ora diserta repressit.  
 Plurima discruciat latitantis cura Stopolci,  
 Suspicioque animum nunc hæc, nunc altera mordet.  
 Ipse cado latitans inverso Scriba Stopolcus  
 Dicta perhorrescit Storacis, gelidusque cucurrit  
 Ima per ossa tremor, nulos dare corpore motus  
 Audet, & exiguum vix ore reciprocat auram.  
 Ah! ubi sum? crudelis amor? crudelia fata!  
 Quàm cœcus me carcer habet? lachrymante Stopolcus  
 Lumine commemorat secum, nunc omnia disset  
 Malcolmus, me fuste procum petet ille trabali,  
 Atque Storax fido sociabit foedere dextram.  
 O scelerate Storax rabidis lacerante molossis!  
 Has styge prostremâ quis te deduxit ad oras,  
 Heu! quàm turpè meos furtivos prodis amores?  
 Fama volabit enim, quis enim præscinderet alas,  
 Dum volat illa semel? crimen vicinia disset  
 Tota meum: Et tandem vitâ mihi charior ipsâ  
 Rhetorica, ô tecum quid nunc mœstissima fiet?  
 O modò fugissem, carcer neque ligneus iste  
 Turpibus his tenebris, & nocte reconderet atrâ!  
 Sic dolet & queritur tacitus sub vale Stopolcus.  
 Rebus in ambiguis rea mens est pessimus augur:

Omni-

Omnia tuta timet. Sed quid non fœmina possit  
 Insidiosa dolis? vultum improvisa serenat,  
 Blanditurque seni. Metus, ira, audacia, amore  
 Et lachrymæ, & risus sacco clauduntur eodem.  
 O mala disparium concors discordia rerum!  
 Hospitis ingenium miratur, & artis acumen,  
 Laudibus hinc Storacem fictis super æthera tollit,  
 Mox instat lateri Malcolmi innixa sedentis,  
 Ederet exemplum & specimen quam nosceret artis  
 Promissæ, & verbis convivia inempta pararet.  
 Suspitione virum sic callida nupta levavit.  
 Triste supercilium pueris, nuribusque timendum  
 Induit exemplo, toto mutatque colorem  
 Ore Storax, motisque parùm luctantia trudit  
 Verba obscura labris, quæ vix intelligat ipse.  
 Haud aliter vidi nocturnas carmina sagas  
 Pangere dum properant volitare per æquora cœli.  
 Pectora percutiens cessa charissime, cessa!  
 Dixit Malcolmus: contrà, quæ maximus olim  
 Scaliger in latium vertit, doctissima secum  
 Graja Storax tacità rimatur carmina mente;  
 Hauserat illa scholis quondam: Babylonica metra,  
 Chaldeasque notas, magico ceu promat ab ore.  
 Exin: quin Malcolme petis? gallumne spadonem,  
 (Ede, nihilque time!) ferrata cuspide fixum?  
 Vis? volo, Malcolmus trepidâ formidine dixit.

Post

Post hæc dicta Storax submurmurat, atque ita fatur:

*Siloni caperones!*

Hanc veterem reserate arcam, Spado gallus in illâ  
Delitet, hunc primum mensis apponite nostris!  
Mandata expedient famulæ, gallumque spadonem,  
(Quem prius abscondit Malcolmi garrula Consors)  
Inveniunt arcâ. Vis est in carmine tanta  
Mi Malcolme meo. Statuam tibi fercula plura.  
Forte anates viridi quæ jam modo gurgite nabant  
Nunc deplumatæ, & lenta sartagine fricæ  
Chare tibi sapiunt Malcolme? edissere tantum.

*Vibriſa ſperomenti!*

Hic ubi perſoſſo ſunt parva armaria muro,  
Quærите: Fluctivagæ ſeptem latuere volucres.  
Nescio quis teneris ſapor eſt & gratia pullis,  
Quos nuper conjux criftati foeta mariti  
Exclusit nido. Pullos viſ eſſe recentes?

*Mentico barbicola!*

Hic ubi fornacem murus ſuſtentat, operta  
Scamna vides, remove, villoſaque gauſapa tolle,  
Pullos invenies ſeptem, totidemque columbas,  
Omnia cocta, tuis volui quia parcere lignis.

Quām

Quàm sapit in succo porcellus tostus ad ignem,  
 Dum calet, & pellem gestat quasi glutine tintam?  
 ( Omnia dissimulat molitoris perfida Consors )  
 Talis erit citharæ laudari carmine dignus.  
 Quid sentis Malcolme? Lyram tua cista recondit,  
 Cui tener auscultat porcellus tostus ad ignem.  
 Hanc aperi cistam, coramque fatebere mecum  
 Quæ dixi. Prius ore tamen sacra carmina promam.

*Extenebro patina!*

Cernis? Porcus adest. Patina quàm svavè recumbit,  
 Ceu viridi carpat molles in gramine somnos?  
 Sopito vicina jacet lyra, causa soporis  
 Illa fuit, grato cum murmure clausit ocellos  
 Mollè jacentis apri: Vatem sic orpheus dicunt  
 Immites cicurâsse feras dulcedine plectri.  
 Hæc ubi monstra videt, totus stetit ore gelato  
 Malcolmus, si forte Storax cum Dæmone nigrum,  
 Percussit foedus? trepidat contingere lancem,  
 Attrectare manu tenerum neque sustinet aprim.  
 Ast illum ex cistâ Malcolmi nupta levavit,  
 Et tacitæ secum quæsta est bene conscientia fraudis:  
 Hæc & plura Tibi, mi Scriba Stopolce, parabam,  
 Nunc capit illa Storax, rapiant quem Tartara vivum!  
 At celer ex cista citharam mox ipse sonoram

Arripu-

Arripuit, digitisque Storax resonabile carmen  
 Increpuit, citharæ cavus àere venter eburnus  
 Undulat & decies replicata rebombilat echo.  
 Sed breve carmen erat: Neque nunc est hora canendi  
 Nostra Storax, inquit, frigescere fercula possent.  
 Tum rursum ad veteres gnarus convertitur artes:

*Obsuffarcinamicti!*

Non procul à portâ suspensus prominet asser,  
 Quo noctu audaces nequeunt ascendere mures:  
 Quærite, siccatus fumo de carne suilla  
 Westphalicus peraso, & farcimina longa quiescunt.

*Plani lucernituentes!*

Angulus obscurus pueris ubi verteré cunas  
 Velato rugosa die solet Antlia nutrix  
 Est ibi; lactucas oleo reperire natantes  
 Nec non asparagos manibus prensare licebit.

*Noctilatentivori!*

Vos quoque retrogradi stagni de littore cancri,  
 Jam modo purpureo post funera sanguine picti  
 Ferte gradum retrò. Clausâ nunc nempe jacetis  
 Obscuri cistâ. Resera Malcolme, minaces  
 Invenies grandi chelarum forcipe cancros.

O

*Nocti-*

*Noctidolostudij!*

Vina caput mensæ: vanum convivia nomen,  
 Si non lætitia Bacchus dator adsit, & author.  
 Vis madeant nobis generoso guttura Baccho?  
 Ecce ubi se tollit Vulcania vertice fornax,  
 Ascende, & trullam cape. Nunc pia carmina dicam.

*Pulligremo plagij.*

Jussa facit molitor, plenam vinoque lagenam  
 Dat Storaci, oh! quantus mihi serpit in ossibus horror!  
 Egelidoque rigent, dicens, terrore capilli!  
 Vina Storax hilaris vasa in crystallina fundit  
 Proficiatque tibi Malcolme! hæc fatus inempto  
 Se recreat potu, dictisque hæc insuper addit:  
 Quin, quod mireris, Stygiâ quoque sede citabo  
 Formosi specie juvenis tibi Dæmona vivum,  
 Pallidior buxo vix non in marmora versus  
 Hic Malcolmus erat, nutat, tremit, æstuat, alget.  
 Hil metue: Hic grandis, quem conspicis urceus, inquit  
 Post hæc dicta Storax, pulchro, nitidisque capillis  
 Quis credat? Phlegetontæ dat tecta colubro.  
 Vase sub hoc latitat violentus, callidus, ater,  
 Pervigil ille Draco, referens simulacra venusti,  
 Et picti, quales aulis nascuntur, ephebi.

(Quis

( Quis tibi nunc sensus latitans sub vase Stopolce? )  
 Ergo ades ô miseræ deceptor subdolus Evæ?  
 Sic grandi sua dicta Storax nunc detonat ore;  
 Infligitque cado plagam, pugnumque sonantem:  
 Ergo ades umbrarum Pater, & graveôlentis Averni  
 Immitis Rector, Stygiæ qui jura paludi  
 Inventor scelerum dictas, cui mille nocendi  
 Sunt artes, stipant quem mille immunda malorum  
 Agmina spirituum, cui semper tristia verba,  
 Iraque, insidiæque, & noxia crimina cordi?  
 Ergo ades! hic iterum resonanti lignea tundit  
 Verbere vasa Storax, mandatque aperire fenestras,  
 Et valvas omnes, clausæque repagula portæ,  
 Det celer ut sua terga, nihilque moretur euntem.  
 Diriguere oculi Malcolmo, pallor & hausit  
 Ora sepulchralis, scopuloque simillimus hæsit.  
 Jam pete lucifugos Erebi mala Bestia fratres,  
 Sub Styga te præceps & ad ultima Tartara mitte.  
 Nunc mea præmissis jungam sacra carmina diris:

*Sutelo captiotrica!*  
*Rumiger aucupidæ!*  
*Nugicanoricrepæ!*

Hæc ubi detonuit, clausum quo scriba jacebat  
 Invertit vas grande Storax: citus aufuge, dixit

O 2

Atque

Atque nocere cave! se fulminis ocyor alis,  
Utque sagitta celerrima missa per ætheris auras  
Eripit, atque oculis vanescit scriba Stopolcus.

Omnipotens, metuende Pater! qui fulmina torques,  
Dixit ad hæc molitor, manifestum Dæmona vidi!  
Quàm similem scribæ? vicina hac arce Stopolcus,  
Si nescis mi chare Storax florente juventâ  
Vivit, & hunc arcis scribam vicinia noscit.  
Heu mihi! quàm similis, vix ut dignoscere possis,  
Huic scribæ Dæmon fuerat, quem lumine vidi,  
Sic oculos, sic ille manus, sic ora gerebat.  
Cura fuit nobis speciem tibi Dæmonis atri,  
Dixit ad ista Storax, Malcolme ostendere larvâ  
Humanâ tecti, nec formidare nigrantem  
Et cornu, & caudâ deformem, ignesque vomentem.  
Sermonem vobis bene texere debeo longum,  
Omnia si memorare velim, & perstringere verbis.  
At quando incipiunt frigescere fertula nostra,  
Et jam jam cœlo surgunt vigilantia noctis  
Lumina, nunc sapiat mea coenula, coenula verbis  
Facta meis. Læti jam vivite! Plena Lyæo  
Amphora nos recreet Malcolme hanc ducere noctem,  
Nobiscum Consors tua, nec Malcolme negabis,  
Rhetorica insomnem debet. Cras cætera dicam.



Finis

*Finis Comœdiæ, & S. STANISLAI verba ad Regem Boleslaum, ut Hungariam deserat.*

**H**Æc ubi differuit, mensæ Parnassius Heros  
Accumbit, primasque jocis, salibusque tenebras  
Exigit: Ast molitor mirari te satis, inquit,  
Haud possum, mi chare Storax, quo munere cœli  
Ædibus advectus nostris tot fercula tecum  
Attuleris, dapibusque dapes, & lancibus unctæ  
Se cumulent lances. Si Palladis ista parantur  
Artibus, haud dubitem fessâ tardante senectâ  
Tyro novus veterem ferulæ submittere dextram.,  
Ast puto tam vultu non omnes Musa benigno  
Aspicit, ut solis discant producere verbis  
Prandia purpureumque cadis effundere Bacchum.,  
Haud tibi credo fuit vulgaris in arte Magister,  
Communesque libri, Phœbus te vexit ad Astra  
Altius, & sapuisse dedit. Tu celsior ibas,  
Quàm sint sera tui longævi vota Parentis,  
Spem quoque tu Matris superas. Quæ gaudia carpent  
Cùm te conspicient verborum munere lautas  
Posse parare dapes? Quid, si quoque Dæmona cernent?  
( Horreo, & aspecto surgunt mihi Dæmone crines)

O ra-

O raris ars tanta quidem explorata magistris!

Ista senex. Multo consors tacet ora rubore  
Jam pridem perfusa; procul, procul esse scelestum,  
Vult Storacem: & contrà subitum tamen hospitis illi  
Ingenium placet, atque dolus. Sic foemina fraudes  
Semper amat, mediâque in risum frangitur irâ.

Hæc ubi conferto spectacula læta theatro  
Purpureos recreant Reges, Procerumque coronam:  
Malcolmus citheram Storaci porrexit, & isthoc  
Ut bene apud memores veteris stet gratia facti,  
Dixit munus habe. Hanc citheram, quis nescio, nostrâ  
Demersit cistâ, quâ tu prior ipse canebas:  
Hanc cape nosque tui memores scito omne per ævum.  
Post scenam his dictis Molitorque, Storax regressi.  
Et jam prospexit celerem comoëdia finem:  
Ultima progreditur, lætis primordia Mimis  
Quæ dederat, lauri folijs incincta virago;  
Et quam principio jussit salvere coronam  
Æricrepos inter sonitus, fremitusque tubarum,  
Ore valere jubet. Surgunt Proceresque Duceſque,  
Linqvuntque ingentis proscenia picta theatri.  
Abripuit geminos inter funalia Reges  
Rheda nives lambens, mox altera, & altera primam,  
Insequitur, duplēm rhedarum linea versum  
Circinat, & strepitu nolarum tinnit olympus.  
Humida nox epulis iterum, dapidusque sacratur:


Atque

Atque ubi jam Reges riguæ dant membra quieti,  
 Saltibus invigilat Corybantū regia pubes:  
 Innovat ipse choros prior instauratque Miesco.  
 Jam Samios gyrant orbes, priscumque rotundant  
 Corduca, Phæacum jam lubrica corpora flexu  
 Exercent, volucrisque rotant se vortice torni:  
 Quas fugere petunt iterum, repetuntque puellas:  
 Atque fugā in mediā crepidā resonante caprizant.  
 Viderat hesternas surgens aurora choreas,  
 Sic hyemem ignavam, & lentæ fastidia brumæ  
 Decipimus, melior redeat quoque lumina somno:  
 Fessa Boleslaus dederat quoque lumina somno:  
 Ecce soporato nigræ ad connubia noctis  
 Sacra Stanislai thalamo coram adstitit umbra:  
 Nubila frons, & lœta parum: non aurea velat  
 Mitra caput, lœvam lituus neque gemmeus implet;  
 Sed ferrum crudele manu premit, impia collo  
 Vulnera quod dederat, cædis monumenta nefandæ.  
 Tetrica talis adest, Regemque affatur imago:  
 Ergò Boleslaum recreant spectacula Circi?  
 Sic scelerum securus agit quasi dormiat æther?  
 Herculeos inter calices, crateras & inter  
 Abluit ille scelus? nihil ira minantis olympi,  
 Tartareique nihil, nisi fabula vana camini?  
 Ergò gravem, saturumque epulis, plumisque sepultum  
 Cras alij excipient Mimi, rhedæque volucres?

Flecti-

Flectitur & citharis, & fit placabile cœlum.  
Heu fuge, si quis adhuc superat tibi Numinis horror  
Et metus! heu ferient, ferient te fulmina sôntem!  
Quid justo Procerum caput eripuisse furori  
Hoc juvat, in poenas si poscunt astra nocentem?  
Illa movenda tibi, faveant si fortè gementi,  
Desuper & scelerum noxas, irasque remittant.  
I celer, hæc summa est, Regnoque incognitus effer  
Furtivum sine teste pedem Fors mœnia Romæ  
Portus erunt, & meta fugæ: fors angulus alter  
Mutantem exilia, & patrio procul orbe vagantem.  
Excipiet, Romæ te primùm ad mœnia defer:  
Numina si jubeat contrâ, mediaque morari  
Te voluere viâ, pare, & mandata capesse.  
Quidquid érit, patere imperium, neque corrigere cœlum.  
Ductor ego, atque comes. Subjecit sine loquendi  
Mollia, spemque ratam veniæ: dumque insuper ortis  
Perfusum lacrymis Regem, gemitusque crientem  
Conspicit Antistes, ceu gnatum amplexus, & ulnas  
Fortiter innectens, flenti quoque basia figens:  
Audi me Fili! tandem audi recta monentem!  
Posce tuis veniam factis, cœloque remitte  
Cætera, & hanc exul, si qua est super, exige vitam.  
Dixit, & in vacuas cum somno vanuit auras.  
Incipit, interea obscurum lucescere cœlum,  
Atque in cœruleum præceps ruere Oceanum nox:  
Mem.

Membra Boleslaus thalamo levat, hæret imago  
 Præsulis, & vultum, & gestus, & verba loquentis  
 Percipit: ex speculis veluti simulacra resultant,  
 Ac vocis veluti impactæ responsat imago  
 Rupe cava, & functi ex scopulo redit umbra sonoris:  
 Talis adest Præsul, laterique hærere loquique  
 Verbaque, quæ prompsit, verbis firmare videtur:  
 Quo se cunque dolens Rex vertat, adesse, minari  
 Cernitur, interdumque aspergere blanda severis,  
 Solarique ægrum: Maturus ut exeat aulâ,  
 Mox iterùm hortari, precibus neque Regis amici  
 Cedere, nec gnati lacrymis velit; atque monentis  
 Audiat imperium cœli, & quæ jussa, facebat.



DE  
**BOLESLAO II.**  
REGE POLONIAE,  
LIBER V.  
ARGVMENTVM.

*Fugiens ex Hungaria Boleslaus defertur  
ad Monasterium Ossiacense, ubi pœ-  
nitens pedem figit. Miesco filius de-  
sperato Patris reditu, ac Regni spe  
depositâ Astronomiæ privatus vacat.  
Copernicus Præceptor Sphærā ar-  
millarem, & mixta quædam imper-  
fecta Aristotelis interpretatur in fa-  
vorem Miesconis.*

**H**is Rex accensus monitis, jam certus abire  
Maturumque efferre pedem, quæ corde latebat,  
Oc

Occultat verbis, simulatque alia omnia prudens  
 Absconditque fugam. Tum verba novissima fatur  
 Et gnatum alloquitur, neque verba novissima gnatus  
 Ista putat, motus aut pectore concipit ullos.  
 Gnate, ego præsignis nuper vestigia cervi  
 Prendi vicinis in saltibus; hic ubi torrens  
 Exesâ se rupe rotat, dum nubifer Auster  
 Obscuro immaduit cœlo. Montem ille reliquit,  
 Præcipitique fugâ, juvenum clamoribus actus,  
 Transmisit campos: stabulum nunc figit in imâ  
 Valle, carverso tutus lare, tutus & umbrâ.  
 Vidi ego signa pedum, neque me vestigia fallunt.  
 Cras ubi puniceis Aurora regressa rosetis  
 Nocturnum terget pubenti ex gramine rorem,  
 Matutinus ego, solusque ( hæc gloria dextram  
 Sola manet nostram ) virides tentabo recessus:  
 Sed neque solus ero, famuli mihi Pamphagus, acer  
 Naribus, & Corylax: maneant clamosa, latrentque  
 Cætera turbâ domi. Quamquam quid blandior istâ  
 Voce mihi, maneantque domi, latrentque molossi  
 Dico, quasi patrijs pridem de finibus acto  
 Sit sua certa domus? Suspirans ista gemensque  
 Dixit, & adjecit: Quoties confecta dolore  
 Atque habetata malis me mens malè conscientia mordet,  
 Et redeunt curæ, miseri solatia casûs  
 Venatu capio, silva est medicina dolorum,

Silva levat mentem, functamque resuscitat umbris.  
Ista sepulchrali jam pridem frigore membra  
Gnate soluta forent, funusque, cinisque jacerem.  
Exanimis, si non studijs vigilare Dianæ,  
Poscere nec canibus nemus, & juga celsa liceret,  
Hanc tibi, quæ superat, venatrix Delia vitam  
Debeo, fata mea in ventos tua cornua difflant.  
Difflarentque utinam semper! neque mentis acerbæ  
Triste rediret onus, dum cantant æra recessū!  
His dictis iterum tristis suspirat, & addit:  
Sit miseras aliquid venatu abspergere curas  
Solarique animum: sed non est pectoris ista  
Constans, atque tenax requies. Medicina dolorum,  
Si fatear, neque me pudor avocet, unica Roma est!  
Omnibus hæc potior silvis, mihi crede Miesco.  
Hic veniam scelerum Sacrorum ab Rege reposcam.  
Ibis gnate comes: tenebris nox apta favebit.  
At scelus infandum mediâ qui luce peregi  
Cur iter abscondo tenebris? qui crimina cædis  
Publica me doluisse palam vetat, atque fateri?  
Hæc ubi disseruit, suspirat, & insuper addit:  
Quidquid erit tandem, dum tempus, & hora favebunt,  
Roma adeunda mihi est. Forsan comes ire Miesco  
Chare potes: solum me forsan Roma videbit  
Te sine; quid plagis? placeat tibi gnate morari  
Dum redeo, agnatae tectis Regalibus aulæ.

Plura

Plura locuturo tristes per lumina guttæ  
 Erumpunt, pectusque dolens Natura paternum  
 Pulsat, & effuso gnatus quoque vocibus istis  
 Immaduit fletu, ac gemitum dedit ore Miesco.  
 Ultima verba metu exanimant, sternuntque parentem.  
 Ast Pater, ut dubiæ lux experrecta diei est,  
 Solus adit silvam: fidi comitantur euntem  
 Pamphagus, & Corylax: fugientis tota supellex,  
 Arcus cum pharetra, certæque in lucra sagittæ.  
 Nec non & tacitis quædam perarata papyris  
 Soli nota sibi, & nulli lustrata, nec unquam  
 Vulgata in populum: peregrinâ luce pyropus.  
 His super accedit, qui Regia robore firmat  
 Edicta, & pacem obsignat, bellique tumultum.  
 Addidit & nummos auri, saccumque nigrantem,  
 Quali humeros cingunt, qui poscunt moenia Romæ,  
 Ista Boleslai profugi fuit arcta supellex.

Et vix contigerat viridis proscenia silvæ  
 Eximit extemplo chlamidem, tegimenque superbi  
 Verticis, & solvit zonam, gladiisque micantis  
 Ex ramo suspendit ebur. Defendere vestes  
 Pamphagus, & Corylax jussi, ad carecta ligantur.  
 Ipse autem positis saccum Rex induit armis:  
 Pera humeris pendet, nodosaque pertica dextram  
 Implet, & obscurâ conchilia veste reluent.  
 His ita compositis iter arripit, arque profunda

Silva-

Silvarum secretus adit: tum ex æthere poscens  
Actorum veniam procumbit corpore toto,  
Porrectusque jacens ita anhelo corde precatur:  
Rector Cœlicolum metuende! arma æthere dextrâ  
Qui fera terribili jacularis, & impete terras  
Succutis, infernique moves nigra stagna profundi:  
Da veniam, & tecum (metus heu! mea congelat ossa!)  
Da mihi pauca loqui. Tu, qui scelerata retundis  
Consilia, oppressosque levas, dextraque potenti  
Erigis, & premis audaces, solioque superbos  
Dejicis: exemplo placuit, tibi maxime Rector,  
Hoc firmare meo: Fateor tua Numina læsi,  
Fas omne abrudi, neque me jam dignor honore  
Aurea quæ vigilant cœli arcubus astra tueri,  
Aut meminisse tui. Si spes opis ulla superstes,  
Heu! dubito, trepidoque metu, & sudoribus angor!  
Si venia in cœlo est super ulla, hanc mitte roganti,  
Atque iras Pater, ac odia, & tua tela repone!  
Jessidis poterant quondam tua Numina flecti  
Vocibus, & lachrymis, qui cædi turpia fando  
Furta thori adjunxit: sunt nostra simillima prisca  
Crimina Davidi; quid si tua me quoque Regem  
Tutetur venia, atque favor comitetur ab alto?  
Non minor est hodiè, ac fuerit tua dextera quondam.  
En quondam hoc spolio pro te diademate, sceptrum,  
Projicio, & patriis procul erro finibus exul:

Si mo.

Si modo, quam merui, tua sit mansuetior ira,  
 Ærumnisque meis olim moveâre rogatus !  
 Parce DEUS miserere reum, & mea crimina dele !  
 Ista gemens consurgit humo, gressumque capessit.  
 Nec quicquam exspectant Corylax, & Pamphagus acer:  
 Atque ubi desperant Dominum, sua dente resolvunt  
 Vincula, & portas ( rabies stimulabat edendi )  
 Præcipitem celerant gressum, sociosque revisunt,  
 Interea sine teste fugam Rex urget anhelus,  
 Linguaeque ne prodat fugientem, hærere palato  
 Verba sibi simulat, neque fundit ab ore loquelas.  
 Altera se reparant Titanidis ora Dianæ  
 Ex quo carpit iter, Romam tentatque repôstam.

### *Monasterium Ossiacense in Carinthia.*

ET iam Pannoniam post terga reliquerat exul,  
 Styriacoque solo profugus confedit, & inde  
 Se quoque proripuit: requies & meta laborum  
 Exhaustaque viæ fit nostra Carinthia tandem  
 Hortatu Superum. Romanis paruit olim  
 Hæc Regio: Sallæ sic rudera prisca loqvuntur,  
 Magnæ urbis, cuius nunc undat arista ruinis.  
 Hic cryptæ ingentes, & laxe signa Deorum,  
 Atque frequens nummus sub Cæsare calus Julio.  
 Sæpe Jovem impresso descendit pastor aratro:  
 Sæpe dolent cineres, urnæque à vomere fractæ

Effo-

Estosæque gemunt animæ, lucemque perhorrent.  
 Absorptam fremitu terræ, vivamque sepultam  
 Fama refert urbem: Sunt, bella furentia muris  
 Qui finem statuisse, velint. Antiqua premit nox  
 Omnia, & obscura latet in rubigine verum.  
 Post ubi Romanum luxu populante rubeat  
 Imperium, ex patriâ posthac tellure Carinthi  
 Rectoresque, Ducesque legunt, moremque sacrandi  
 Principis antiquo servant per sœcula ritu.  
 Scilicet agrestis cento, & pastoria pellis  
 Cingit membra Ducus, quo cultu moenibus urbis  
 Egressum, Procerum globus, undantisque corona,  
 Incingit populi. Vasto cendentia campo  
 Saxa thronum effingunt, nostrumque videtur in ævum:  
 Hunc prior inscendit vili de plebe colonus  
 Affaturque Ducem: Tunc jura antiqua tueri,  
 Et forti patriæ fines defendere dextra?  
 Præmia virtuti, meritis cumulare favores,  
 Et mulctare reos? Princeps his vertice prono  
 Annuit. At pastor: ne fors tibi mente remissâ  
 Excidat ô! Princeps, veniantque obliavia tanti  
 Muneris, hanc alapam cape, dicit, & ora Regentis  
 Pervolat audaci dextrâ. Post ista Tribunal  
 Deserit, atque Ducem lapidiosâ in sede reponit.  
 Tum novus his actis spoliatur paupere cultu,  
 Ostroque ardenti Princeps amicitur, & auro,

Atque

Atque ducale capit colaphi pro verbere sceptrum.  
 Gratantur Proceres, redeuntque ad moenia læti  
 Cum Duce: fit plausus populi, cœlumque remugit.

Ex nunc Austriaci terras rexere Carinthas  
 Archiduces, Divum genus: Hos Malta schia bello  
 Pellere nisa fuit, defuncti jure Parentis,  
 Unica cuius erat soboles, patrimonia ferro,  
 Et flammâ mulier quasi clavis sibi rapta reposcens.  
 Ipsa puellari lateri circumdedit ensem,  
 Et caput abscondit galeâ malè fortis Amazon,  
 Oreque terribilis diducto, abrupta Tirolis  
 Per juga Bellonam Carnorum duxit in oras.  
 Milite jamque suo plures invaserat arces,  
 Oppidaque incendit Bellatrix mascula flammis.  
 Unica fæmineos arx Osteruvizia fastus  
 Contudit, hæc nullis erat expugnabilis armis.  
 Ergo famis duræ rupem obsidione coronat,  
 Sic rata cessuram: sed cedere nescia rupes  
 Arte famem eludit. Taurus mactandus in escam  
 Unicus obfessis superest: stridente securi  
 Nunc feriunt, sternuntque solo; tum corpora tauri  
 Subjiciunt cultris, spoliantque cadavera pelle,  
 Et ferubus figunt costas, solatia ventris  
 Ultima, mox pellem consutam messibus implent  
 Triticeis: Arcis de vertice missa per auras  
 Præda volat; referant hostes Cerealia dona,

Tergaque cruda vident. Frustrà tentavimus Arcem,  
 Nec premit obseffor, dixit Malaschia, cives  
 Dira fames: Cedamus abhinc, fors tempore cedet  
 Arx alio, clavesque mihi, portasque recludet.  
 His repetit dictis mulier decepta Tirolim.  
 Exuviae tauri memori servantur in arce,  
 Vidi ego quæ memoro. Sed nunc ad coepta feramur.

Montibus ex altis istâ regione frequentes  
 Rivorum vitreæ serpunt per prata querelæ:  
 Post ubi nulla patet fuga, lubrica stagnat aquarum,  
 Congeries, placidi simulatque silentia ponti.  
 Tres habet insignes piscoſi gurgitis undâ  
 Terra Carintha lacus: medium tenet, atque natantum,  
 Ditior est spolijs, veteris qui moenia radit  
 Ossiaci, Turresque sacras, Prædantibus hamis  
 Agmina squammigeræ ducuntur millia gentis.  
 Sic adeo medium semper tenuisse beatum est.  
 Decepti ut toties caveant sibi, retia, nassas,  
 Piscantumque dolos fugiant, fundoque morentur:  
 Sed sua damna petunt avidi, pereuntque volentes.  
 Argento lucent similes hoc gurgite truttæ  
 Guttis distinctæ croceis: non æquore prædam  
 Invenias magno, quæ sit mage grata palato  
 Esca tuo, vicina licet sint munera ponti  
 Adriaci, non murænas, non ostrea cures,  
 Et capite à grandi qui ducunt nomina, cancros.

Sunt

(8) o (8)

Sunt, & erunt nostræ Regum bellaria truttæ:  
 Hæc ergo Ossiaci Neptunia Regna virescunt,  
 Æquoris effigies parvi. Quis struxerit ædes  
 Relligione Patrum priscâ, quis templa dicârit,  
 Musa refer paucis. Jam sacula dena volutant  
 Se Mundo, & super hæc Titan trigesimus annum  
 Circinat in menses, quo nostrum exordia sumpsit  
 Ossiacum: nomen claustro dedit Ozzius Heros  
 Flammanti insignis galeâ, & radiantibus armis.  
 Finitimo ille Arcem Tyffenam in monte tenebat,  
 Statque aliquid, nec adhuc consumpsit rudera tempus  
 Omnia, murorum vestigia prisca supersunt.  
 Ozzius hic fidei, ac sinceri luminis expers  
 Impia thuricremis placavit Numina flammis;  
 At gnatum, ut celebres Europæ cerneret urbes  
 Romæque antiquæ fastum, dimisit ab arce.  
 Egressus patriâ juvenis, peregrinaque lustrans  
 Littora Christiadum divino fonte lavatur.  
 Fœdera conjugij spernit, votoque pudorem  
 Alligat æternum: viduata Aquilea mitram  
 Imponit juveni, sponsique procatur amores.  
 Exemplo gnati gemini quoque sacra parentes  
 Christiadum amplexi cultum posuere Deorum.  
 Cumque Jovi, & Marti fumarent thura Carinthi,  
 Marmoreos colerentque Deos, hâc primitùs arce  
 Illuxit cœlestè jubar, Christusque refusit.

Exin Aniciadis Benedicti diva propago  
 In sedes adlecta novas, caligine Ditis  
 Funditus abstersâ cœlesti flumine lustrat,  
 Expiat & Patriam, nocturnaque signa Deorum  
 Æquat humo, Christoque facit nova surgere Templum  
 Ozzius ipse memor tibi casta Puerpera Virgo  
 Claustra dicant, sobolemque sacram sibi prolis adoptat  
 Nomine: quin ædes nobis quas struxerat olim,  
 Mortuus ipse colit, plus & quam mille per annos  
 In templi medio gelido sub marmore somnos  
 Cum consorte capit. Sunt hæc cunabula prisci  
 Ossiaci. Regem nunc excipe Musa Polonum.

*Boleslaus ex adversâ ripâ stagni navigat ad  
 Monasterium Ossiacense.*

**M**ons dexter trans stagna lacûs alit ubere gleba  
 Mille greges, calido, quia vultum flectit ad Austros:  
 At qui læva tenet, soli conversus iniquo,  
 Ille minus colitur, tenebrosæ in littora silvæ  
 Undique dependent, & præmaturus obit sol.  
 Hac ergo ex ripâ sancti antiquissima Claustrum  
 Septa, pijque lares per sæcula dena coluntur.  
 Nulla viatores huc regia semita ducit:  
 Tempora si brumæ, glacialibus aspera Coris  
 Excipias, tunc plaustra gemunt in marmore duro  
 Et pictæ volitant stupefacta per æquora rhedæ.

Mox

Mox ubi sol rigidâ Neptunum compede solvit  
 Hybernum cessitque gelu, tunc altera rursum  
 Semita trans stagnum teritur. Via certa salutis  
 Ista Boleslao fuerat, dum limina Romæ  
 Mente agitat secum. Regno, patriaque carentem  
 Hæc furtunatas via regia duxit ad oras.

Macte Boleslæ! ignotis his sedibus hære:  
 Surge animis, jam portus adest, & meta salutis,  
 Errantem jam sige pedem, sint mœnia Claustræ  
 Altera Roma tibi, sint littus & ara salutis.  
 Regia vera via est, quæ Reges ducit ad astra.

Et jam post montes sol lumen clausit, anhelas  
 Extinxitque rotas, parvi trans marmora ponti.  
 Templa Boleslaus videt, ac sibi corda peruri  
 Igne sacro sentit: quantùm crescentibus umbris  
 Deficit ipsa dies, tantùm mage cura videndi  
 Ossiaci exacuit Regem. Lux omnis Olympi  
 Eripitur tandem ex oculis, & sidera lucent.  
 Lumine prosequitur tamen & rimatur, in umbris  
 Seque videré putat, quod amat. Per littora currit  
 Si remo quis claustra petat jam nocte profundâ?  
 Nemo petit claustrum. Vicina mapalia nautæ  
 Stramine tecta subit, neque fundit ab ore loquelas,  
 Nutibus ast loquitur tantum, digitisque perorat.  
 Villica fors parvis vigilans absente marito  
 Pulmentum coxit Cereali ex munere natis,

Laetæ

Laetè cibum niveo, cocto spargensque butyro.  
 Est Cereris genus hac patriâ, quod ritè secundam.  
 Dicere tu possis Cererem; nam messe peractâ  
 Mox iterùm curvo tauri junguntur aratro;  
 Arvaque sulcantur: sulcato spargitur arvo  
 Altera lœta Ceres, quæ nullas tollit aristas,  
 Sed gracilis quasi repit humi, tamen undique ramos  
 Explicat exiles, roseoque cacumine floret.  
 Parvula tu virgulta putes nascentia vulgo.  
 Tempore sed lapsò, cœli, solisque favore  
 ( Autumni imprimis si non nocuere pruinæ )  
 Induitur grano, & Cerealia lina ministrat  
 Ista seges, saxoque molæ contrita strepentis  
 Pinsitur in panem, fiuntque hoc polline pultes  
 Agrestumque dapes varia: Sartagine tostam  
 Nam Cererem excipiunt, cocto sparguntque butyro  
 Affunduntque nives lactis. Sit rustica quamvis  
 Ista dapum species, sapuit tamen, atque subindè  
 Gaudet se stomacho quoque nobiliore locari.  
 Tanta soli patrij, & biferæ clementia glebæ est.  
 Villica ut ante fores jam pridem ad scamna sedentem,  
 Observat Regem, blandis mox provocat illum  
 Nutibus: Accede, & nobisum divide cœnam  
 Quisquis es, hoc etiam sub noctem in stramine dormi,  
 Quando ita poscis, ait, tum sese ad pignora vertit:  
 Discite pauperibus cœnâ succurrere gnati,

Atque

Atque Lare. Hoc mater, pater hoc me s̄æpe monebant,  
 Ludebam cùm parva domi. Gratissimus æther  
 Omnia sorte duplā, & geminato fœnore reddit.  
 Sit nobis angusta domus, sit curta supellex,  
 Ostia dum pateant miseris, ut cætera desint,  
 Hoc satis est. Nulli domus hæc obnoxia culpæ  
 Dum fuerit, sanctusque pudor pernoctet in illâ,  
 Plus satis est. Aurum da nobis astra negârint,  
 Non tamen esse pios. Quid si pro paupere cœnâ  
 Egelidique haustu laticis cœnacula sternant  
 Regia, Nectarcosque lacus dent Numina quondam?  
 Isthac spe niti Divinâ voce jubemur.  
 Dixit, & invitans Regem: cape ruris, Amice,  
 Munera, sustenta vires, longeque profectos  
 Instaura, vir chare, pedes: nisi muta sileret  
 Lingva, viæ causas nobis narrare juberem,  
 Erroresque referre tuos. Intelligo quantūm,  
 Vestibus his Petri te limina poscere prodis.  
 Vade, DEUM pro te, pro meque precare rogatus!  
 Ora licet sint muta, preces tamen audiet æther.  
 Nunc ede, post riguæ da laugvida membra quieti.

Contigit ore cibos, viresque refecit agresti  
 Rex epulo, atque ubi tota domus sopita quievit,  
 Ipse etiam paleis, & stramine membra reponit.  
 Commoda tum recolens, & simplicis otia vitæ:  
 O solos, inquit secum, vereque beatos

Agri-

Agricolæ! O quâm parvo solatia constant  
Maxima? quâm nullo sunt illa gaudia fuso?  
Integritas, niveusque pudor, neque fallere docta  
Simplicitas, lucri studium sine fraude merendi,  
Quin & larga manus, licet absit copia rerum,  
Hic posuere Larem. Toto contraria cœlo  
Aulica quâm vita est? tuguri mage pauperis hospes  
Esse velim, & gracilis dormire in vimine junci,  
Quâm mihi lecticas, & regia strata parari.  
Auro tecta rigent, gemmisque triclinia Regum,  
Sed simul & turgent vitijs. Sceleratus habendi  
Imperat, ac mores sinceros inquinat ardor.  
Ambitio bullis inflata crepantibus orbes  
Spe vorat insanâ, neque Regnum sufficit unum:  
Vi, ferro, flammâ terræ poscuntur & undæ,  
Juraque bellorum, & causæ necuntur inanes.  
Ruri habitat tranquilla quies, secura tumultus,  
Divitijs contenta suis: non classica miles  
Intonat, & rauco crepuerunt cornua cantu.  
Quisque suum tauris patrium proscindit agellum:  
Rumpitur invidiâ nemo, neque tendere fines,  
Aut vicina placet sibi subdere jugera bello.  
Pax, & sancta fides habitant sub paupere tecto.  
Quodque ego mirari non desino, sobria mensa  
Sit licet, invitant tamen, ac ad prandia cogunt.  
Arcemus portis inopes, aditumque negamus:

Ad sua

Ad sua tecta vocant isti gaudentque malorum  
Effigiem in miseric propriaque, suamque tueri,  
Redde pijs DEUS, & cœlo benefacta repende!

Talia commemorans dulci lassata sopore  
Lumina concludit, coepitque in stamine duro,  
Mollior esse quies, quam quæ regalibus aulis  
Olim inter citharas, vocumque sonora duella  
Invitata fuit. Cygnæo vellere sessis  
Haud opus, excipiunt strato quounque quietem.  
Ecce autem seræ sub nigra silentia noctis  
Umbra Stanislai cœlo delabitur alto,  
Non obscura tamen, vultum neque tristis ut olim,  
Sed faciem conspersa rosis, ridensque, favensque,  
Rex ubi Pontificem coram sibi sentit adesse,  
Excutitur somno, gelidus pavor ossa pererrat,  
Hirta tremore coma est, & adhæret lingva palato.  
Ast trepidum dictis Præsul compellat amicis:  
Parce metu varijs regionum erroribus acte  
Exilijque tui, Fili charissime, finem  
Hunc specta: externo non ut prius orbe vagaris,  
Littora nec peregrina premis; favet hospita tellus  
Ista tibi, & natale solum es: His sedibus hære,  
Ossiacum sic Roma tibi. Sic maximus æther  
Imperat: Interpres mandati nubibus adsum.  
Nunc age, quid cœlum tecum velit insuper, audi:  
Quæ trans stagna lacūs hesterno vespere Templa

R

Pro.

Proxima vidisti, roseæ ad Pallantidis ortum  
Rex maturus adi, & Matri dic ore salutem  
Partheniæ, cujus delubra dicantur honori.  
Nec pete sollicitus quis te per cœrula vectet:  
Invenies cymbam, stantemque in littore nautam.  
Postquam contigeris formosæ Virginis ædem,  
Tum veniam exora scelerum, votisque fatiga,  
Si miserata reum, & sua jam delicta fatentem  
Lumine dignetur, si te velit esse suorum  
De grege: nec dubita, donabere Virginis almo  
Lumine, teque reum voti volet illa suorum  
In numero. Duplica mox votum, & concipe tecum:  
Hæc, quæ pauca tibi superabunt tempora vitæ  
Illijs obsequijs jura te addicere claustrum,  
Vivereque ignotus pauperque his sedibus opta.  
Desere tum sanctos post edita vota penates,  
Et fora per claustrum gressum circumfer ubique  
Mutus, & elinguis: dextris quin gestibus aude  
Exorare stipem: sed jam non desere Claustrum.  
Illijs in medio cernes de marmore fontem,  
Venam jugis aquæ nemorosi ex vertice Tauri  
Bis centum duxere tubi, bibulique canales,  
Quos modo jam labor est senio reparare cavatos.  
Tu gnava conjunge operam, nec parce labori,  
Ceu pretio conducta foret tibi dextra, placebit  
Obsequiosa manus, rebusque intenta gerendis;

Quo

Quo gladios olim, nunc sarcula stringe lacerto.  
 Sedulitate proba te cunctis, nutibus ipsum  
 Hoc etiam eloquere, manibus da signa, miserti  
 Ignotum Monachi excipient, opibusque juvabunt.  
 Namque memor Benedictus erit, quæ templa Mogilnæ  
 Struxeris in Regno, & recolet, gratesque rependet.  
 Quin & clam gnatosque suos sociosque monebit  
 Festini referent portas, gremioque, sinuque  
 Excipient nulli quamvis sis cognitus hospes.  
 Deplorata salus fuerat tua: Numinis iras  
 Placavit tecum precibus Benedictus: Olympo  
 Ille alto lapsus te Rex solabitur ægrum.  
 Jamque vale, & primâ, quæ dixi, luce facesse!

Vanuit his Præsul dictis. Sub luminis ortum  
 Limina Rex tuguri linquit, parvosque Penates.  
 Invenit & cymbam, stantemque in littore nautam;  
 Complaudensque manus geminas, signisque perorans  
 Vectari trans stagna rogat. Frenare nigrantes  
 Jam discit remo fluctus, qui splendida nuper  
 Sceptra manu tenuit, Reges domuitque superbos.  
 Ille Triumphator, terræ metus ille marisque  
 Cærula terga secat, factus de Principe remex.  
 Macte Boleslæ! Oceani per tergora parvi  
 Hâc Argô volita: Sic itur ad astra per undas.

R 2 Ora

*Oratio Boleslai ad B. V. MARIAM.*

**C**ontigerat, quā cursus erat, Rex denique portum  
 Exscenditque rate; in bibulā fundatur arenā  
 Trabs cava. Templa petit quā primūm incognitus hospes,  
 Virgineam salvere jubet, fususque per aram  
 Fervidus exorat mille inter vota Parentem:  
 Erumpit lacrymans: O nullā æquanda Virago  
 Laude satis, sacrā quæ quondam fertilis aurā  
 Numinis afflatu, tactusque ignara virilis  
 Nixa DEUM es. Fractis ades ô! spes unica rebus!  
 Unica tu Virgo es portus, littusque natantūm  
 Perfugiumque reis. Heu! quot jam quassa procellis  
 Et jactata votis nutantia vela protervi  
 Haussissent fluctus, nisi tu cynosura, Pharusque  
 Diva fores: Tu stella sali, tua dextera nunquam  
 Äquore in hoc mundi nantes frustrata fefellit.  
 Imploro miser, & tua supplex Numina posco!  
 O tu fömineos inter lectissima cœtus  
 Partheniosque choros! O quæ tibi forma, decusque!  
 Casta pruina tegit frontem, sangvisque rosarum  
 Accendit tibi Virgo genas, tu purior ipsis  
 Mentibus æthereis; ad te supremus anhelat  
 Spiritus iste meus, languetque, & deficit omnis.  
 O Domina, ô mea spes, ô anchora sola salutis!  
 Aureus ille tuis qui Pusio pendet ab ulnis,

Ah!

Ah! si respiciat flentem, & sua lumina strectat!  
 Nutibus ah! puerum invita, potes omnia Mater!  
 Sic ait illacrymans, neque spe se pascit inani:  
 Namque ( fide majus ) manifesto lumine Regem  
 Verberat, & flentem Virgo conversa tuetur.  
 Illius exemplo geminam simul aureus infans  
 Intentare aciem, blandosque videtur ocellos  
 Torquere in flentem. Rex territus ore gelatur  
 Virginis aspe<sup>t</sup>tu, trifido quasi tactus ab igni,  
 Et migrat in marmor totus, rapiturque sepultis  
 Sensibus à semet: rerum, & mundi immemor hæret  
 Extincto similis, requierunt murmura venæ,  
 Frigore torpescunt oculi, color ora genasque  
 Deserit, & surdō luctantia gutture verba  
 Obstupuēre gelū. Ad superos mens avolat omnis  
 Et quid agat posthac, secretis tractat in astris.  
 Sedibus æthereis media inter talia Divi  
 Excipiunt Regem: Genitor Casimirus, & altis  
 Missus heri tenebris, lituo radiante, mitraque  
 Conspicuus Præsul, qui cœlo justa ferebat.  
 It comes, & multo gemmarum lumine fulget  
 Præsule cum Sancto Senior Benedictus: hic olim  
 Antra puer petijt jam plenus Numinis haustu,  
 Occiduumque sacris fundavit legibus orbem,  
 Infernos domuitque Deos, fregitque profundi  
 Sceptra Jovis, rutilamque viam sibi fecit Olympo.

Illum

Illum & Reginæ, Regesque, Ducesque secuti  
Desiliere throno, strepitumque, forumque perosi  
Dulcia privatæ libârunt gaudia vitæ.

O Nemus, ergò aliquid tibi præ Regalibus aulis  
Majus inest, & se doluerunt marmora sperni?

Accedunt alij superâ regione recepti,  
Et Regem erudiunt, quos quondam carcere, ferro  
Sustulit è medio. Jam sit pietatis imago  
Quem prius horrebant immitti fronte Tyrannum.  
Quâ sint irati pacandæ Numinis iræ  
Lege docent, septisque monent persistere claustræ,  
Et fixo durare gradu. Liventia fletu  
Lumina sustollat cœlo, præcordia pugnis  
Tundat, & armatis in se sœvire flagellis,  
Insomnesque velit plorando ducere noctes.  
Talibus aggressi monitis sua crima flentem  
Cœlicolæ mulcent blandis, & mollia duris  
Adjiciunt: revocare animos, ægrumque timorem  
Mittere corde jubent, certæ promissaque firmant  
Spe veniæ: Nulli non exorabile Numen,  
Seria dum, nec sera trahat suspiria corde.  
Lenibus alloquijs Rex pollicitisque revixit,  
Immemor ipse sui totâ qui mente jacebat.  
Jam redit ergò color, redeunt in corpore vires,  
Vivacesque micant oculi: mox duplice voto  
Se stringit, purgatque fidem, claustrique perenne

Jurat

Jurat in obsequium. Sacras tum deserit Aedes,  
 Coenobij lustratque forum, fontique propinquat  
 Marmoreo, patiens operum, & perferré labores  
 Jam docilis: Simul ac agrestia corripit arma,  
 Et solus tellure levat, stringitque lacertis  
 Fortibus ingentem riguo de fonte canalem.  
 Quamque viri dubitent quatuor, molem unicus austert  
 Mox aliam ille trabem multo conamine limo  
 Eruit, atque omni sua brachia stringit opum vi.  
 Prorumpunt, salsaque fluunt per tempora guttae.  
 Scitantur famuli, & servorum tempore ab omni  
 Desidiosa cohors, patriamque, genusque requirunt  
 Atque viæ causas. Stupet ille, orisque loquela  
 Dissimulat, quin & spectacula mimica prodit:  
 Et manibus videoas dextris, pedibusque loquentem.  
 Mox aliquis: Romana petit si limina, lingvis  
 Iste perorabit centum, plateasque per urbis  
 Mugiet, & digitis causas orabit, hiantis  
 Gloria prima fori. Si tantum gutture posset,  
 Alter ait, gemini quantum valuere lacerti,  
 Dicere vix dubitem Ciceronem hac veste latere  
 Abscondique nigro facundum Rhetora sacco.  
 Mox alias: Claustris vix iste silentia rumpet,  
 Sed neque vivet iners; humeris nam pondera tollit  
 Herculeis, & ligna feret, lancesque lavabit,  
 Purgabit scalas, horto mala germina vellet,

Et

Et lolium infelix. Media inter talia claustrum  
 Antistes Senior, sero jam frigidus ævo  
 Improvisus adest. Huic olim ex æthere spheras,  
 Quas neque crystallum, vitrum neque dicere possis,  
 Tres misit Regina poli. Res acta referri  
 Orbe quidem toto, & memorari in saecula digna est:  
 Hic sacer Antistes Wernerii nomina gessit.  
 Claustrum saepe fores capitum langvoribus ægri  
 Pulsabant precibus, nec erat medicina levandis  
 Febribus ulla satis. Praesul Genitricis ad Aram  
 Partheniæ accedit, Nabathæi nubila thuris  
 Fumat, & ô Mater! squalentia corpora morbis  
 Fusa vides circum, neque prosunt philtrea medentum:  
 Te medicam imploro, morborum extingvere pestes  
 Mille potes, nullus pepulit quas arte Machaon.  
 Post hæc vota globi (dictu mirabile!) terni  
 Æthere delapsi media cernuntur in ara.  
 Materies illis concretæ concolor undæ,  
 Purior & vitro, & crystallo purior omni.  
 Lucida nunc quoties ægris auferre colorem  
 Intentat macies, toties ad munera Divæ  
 Accelerant Matris, tanguntque salubribus artus,  
 Et sua membra globis. Virtus impressa fatetur  
 Præsentem Medicam: pestem domat illa, luemque;  
 Vitalisque reddit venis fugientibus aura.  
 At pius Antistes peregrinâ veste latentem

Dum

Dum pridem observat nunquam quem viderat ante  
 Diligit, & tacito sentit sibi corda moveri  
 Affectu in Regem: Non te dimittere claustrō  
 Est animus, licet ipse velis, placet apta labori  
 Dextera: sunt ventres servi, quos educo, pigri  
 Nec sudant, nisi quando vorant. Tu quisquis es hospes  
 Adibūs his habita nostris. En angulus horto  
 Finitimus ( simul ac digito contermina monstrat  
 Tecta casæ exiguae ) si cœlum Aquilonibus atris  
 Ingruat, haud dubita, melius te limen habebit.  
 Nunc parvo succede Lari. Rex Præsulis almi  
 Volvitur ante pedes, lacrymīnis gratesque rependit.

*Miesco filius Boleslai amissum plorat Patrem,  
 Et primis Astronomiæ elementis ani-  
 mum solatur.*

**P**ostquam Pannoniæ fines, & regia linquit  
 Tecta Boleslaus, deceptum errore viarum  
 Fama volat cessisse feris in pabula Regem.  
 Ast alij in proprium dentes acuisse molossos,  
 Morsibus, & rabidis Dominum laniasse ferebant.  
 Hem novus Actæon, avidis hem præda molossis.  
 Sunt etiam ( audacis tanta est fiducia lingvæ )  
 Qui ferro, dextraque suâ cecidisse recensent.  
 Quis tenero sensus cùm percipit ista Miesco?

S

Cum

Concidit ergò Parens? proprioque miserrimus ense  
 Concidit? O solā vulnus medicabile morte!  
 Ergo superstes ego, quoties mihi fata recurrent  
 Qui moriar, siamque Patris de funere funus?  
 Cur mihi, cur Genitor non ferrum in pectus adegit,  
 Et prior hanc animam pallentes misit ad umbras?  
 Mœsta dies totos functi Genitoris imago  
 Occursat, longæque extendit tædia noctis.  
 Num tamen his demens rumoribus omnia credo?  
 Decipit, ac vanis veluti sub nocte figuris  
 Morpheus illudit, sic omnis pejor eundo  
 Fit Fama, & falsis onerat terroribus aures.  
 Talia Rex Genitor nunquam mihi verba locutus,  
 Dira infanda nimis: male faustam abrumpere lucem  
 Ceu ferro velis, & veniam desperet Olympi.  
 Quin memini occultos gemitus misisse dolentem,  
 Atque ubi solus erat lacrymas sudisse calentes.  
 Temporis heu quoties spatiū furatus amicis  
 Obscurus latuit, dixitque precantia verba?  
 O quoties velut in somnis oblata videret  
 Se petere ingentis narrabat moenia Romæ,  
 Amplecti geminasque Petri, quas nescio claves,  
 Hoc lacrymas inter mihi commemorare solebat;  
 Jam sibi purpureos Regi fore dixit amictus  
 Et Procerum pompam, peteret si tecta Quirini:  
 Nudus opum, agresti coniectus membra lacernâ

Jam

(S) o (S)

Jam sine me gressum simulabat tollere furtim:  
 Meque jubet salvere dolens, dudumque valere.  
 His fuit implexis verborum ambagibus usus,  
 Nec patuere doli, nam multa locutus aperte,  
 Dictaque mox nebulis iterum circumdedit atris.  
 Hei mihi! tam præsens ceu nunc mens ista fuisset,  
 Hæsissemque comes lateri, non regia tecta  
 Me sine deseruisset enim, non ille profundis  
 Vallibus erraret, silvisque, & montibus exul.  
 O Pater! ô fixum semper mihi pectore vulnus.

Ista gemens secum plorabat sæpe Miesco,  
 Non epulæ, festique chori, citharæque sonoræ  
 Oblecant acri juvenem mœrore jacentem.  
 Regali Astrologus tunc vixerat hospes in aula  
 Ætheris interpres magni: nam cæde peracta  
 Duxerat hunc secum profugus, natique Magistrum  
 Esse Boleslaus voluit: neque sidera tantum  
 Maximus ingenio perseverat iste Magister:  
 At simul & Leges Regnum, & jura Regentum  
 Multus in Historiâ lustravit mente capaci:  
 Atque domi erudit te primum parve Miesco.  
 Astrologus patriâ de gente Copernicus hausit  
 Nomen, & ex illo post lapsa Copernicus alter  
 Sæcula prognatus veteris systemata mundi  
 Doctior invertit, docuitque quiescere solem  
 In centro, terramque pigram per signa moveri.

Ista mathematicis non expugnabilis armis,  
 Et nova non paucis sententia floret Athenis.  
 Regius Astrologum scitatur saepe Miesco  
 Sicubi deliteat Genitor, quo terra recessu  
 Abscondat profugum, Senior si discat ab astris?  
 Regnorum clades, & Regum funera, dixit,  
 Proditis Astrologi, quin & quæ silva latebram  
 Praebeat extorri possis mihi dicere Regi.  
 Verte Senex, ô! verte tuam doctissime Sphæram,  
 Vertere nec cessa, dum quæ sint regia fata  
 Ediscas, referesque tuo præceptor Alumno.  
 Vivat adhuc Genitor meus, an jam cesserit umbris?  
 Ista quidem juvenis: redditque Copernicus illi:  
 Falleris ô nimium, & te decipis ipse Miesco,  
 Certior ex stellis, & vano themate coeli  
 Fata Patris si nosse velis. Vanissimus augur  
 Ista foro in medio forsitan tibi dicere possit,  
 Non ego: Mendacis sunt hæc diliria vulgi.  
 Vivit, & hac lucis mortali vescitur aurâ  
 Ille tuus Genitor, vivax idea Miesco  
 Si Patriæ virtutis eris: si sceptra, thronumque  
 Conscendes, Regisque premes vestigia tanti.  
 Omnia, magnanimus Genitor quæ fortia gesuit,  
 Filius ac hæres se quondam imitabere solers.  
 Ista quidem Astrologus: respondit regius hæres:  
 Ast mihi deserto Regni spes excidit omnis,

Nam

Nam Patrius jam sceptrum tenet meus, atque Polonis  
 Imperat. Hanc fixum est privato ducere vitam  
 Curarum vacuam. Spes, & Fortuna valete!  
 Vel certe hanc tristem Fortunam corrige tempus!  
 Vita mihi eligitur cœlestibus hospita curis  
 Sideribusque affixa Poli: sic tædia fallam,  
 Solaborque graves Patrio de funere luctus.  
 Illius ô quamvis nunquam miserabile fatum  
 Excidet, aut Genitor labetur pectore totus.  
 Jam me Tyronem super astra, Copernice, duces  
 Errantesque Deos septem monstrabis aperto  
 Æthere fraterno cur palleat igne Selene,  
 Stigmata cur maculasque gerat? cur Arcades Ursæ  
 Vicinæque faces nolint se tingere ponto?  
 Mox etiam ardantis, rapidæque incendia flammæ  
 Æquoreumque gelu, motumque agitabilis auræ,  
 Atque pigræ in centro mihi dices otia terræ.  
 Denique quod superest, his me solabere tristem  
 Ex nunc privatæ lectantem commoda vitæ.

Dixerat hæc juvenis. Panchæi solis ad ortum  
 Musei Astrologus magni penetralia pandit:  
 Hic grandes terræque globi, Cœlique profundi,  
 Orbibus innexi, & faciles volvi atque revolvi.  
 Terrarum inscripti tractus, Europæ, Asiæque,  
 Et Lybiæ: sed quarta deest pars infera mundi,  
 Cognita quæ nostris est nuper America nautis.

Sphæ-

Sphæra meris constans ex orbibus insuper illic  
 Conspicienda fuit: medios percurrerat orbes  
 Pertica subtilis, mundi quæ dicitur axis.  
 In centro globulus, qui terræ immane rotundum  
 Exhibit: at sphæram quæ pertica transit utrinque  
 Illa Polos monstrat geminos: Antarcticus infra,  
 Arcticus est supra: glaciali nomen ab Arcto  
 Sumpsit uterque Polus, quos circum signifer æther  
 Inter bis denas, & quatuor ambulat horas,  
 Atque diem cursu, noctemque absolvit opacam.  
 Nam velut in plaustro circum rota volvitur axim,  
 Sic quoque stellarum per eos se circinat agmen.

Mox hujus constant textum admirabile sphæræ  
 Äquator, Tropicusque Capri, Cancrique minacis:  
 Illos Zodiacus tandem curvamine stringit  
 Obliquo varijs pictus post terga figuris.  
 Accedunt alij, Grajâ quos voce Coluros  
 Dicimus: Hi quatuor dant puncta volubilis anni,  
 Atque docent, mundo quo primum tempore currant  
 Ver, Ästas, Autumnus, Hyems. Hæc machina Sphæræ est.  
 Prima tuæ sint hæc elementa, Copernicus inquit,  
 Artis Sidereæ: jam mentem adverte Miesco:  
 Sele inter nexos, insertosque orbibus orbes  
 Et globulum in medio, quasi pendeat àere liber,  
 Exiguum spectas, globulus tibi denotat iste  
 Telluris sphæram ingentem, molemque stupendam:  
 Pertî-

Pertica quæ mediæ dispescit corpora sphæræ.  
 Immotus mundi vertex, axisque vocatur.  
 Nam circa hunc axem stellarum exercitus omnis  
 Vertitur, & rapti describit tempora motū.  
 Sunt septem Errones Saturnus, Jupiter, Hermes,  
 Sol, Mars, Luna, Venus. (Graij dixere planetas)  
 Hi præter rapti celerata volumina motū.  
 Cursibus exercent proprijs per inania se se  
 In latus, atque sua jam statione propinquī,  
 Jam procul à nostrâ Cœli regione vagantur.  
 Sic tamen errantes gnavâ compescimus arte:  
 Metimur spatiū ex umbris, quo quisque recedit,  
 Atque ubi jam relegit gressum, cessatque vagari,  
 Hic radio in sphærâ curvum describimus arcum,  
 Et mox Versorem hunc arcum, Tropicumque vocamus.  
 Nemo Planetarum Tropicos proficiscitur ultra:  
 Herculis extremas hos dixeris esse columnas,  
 Postquam orbē exhausit monstris, monumenta triumphi  
 Gadibus & posuit, bis sex subiqtque labores.  
 Jamque Miesco vides Tropicus quid præstet uterque  
 In sphærâ: ex septem nam quantum quisque planetis  
 Deviet, erroris poteris deprendere metam.  
 Nos armillari in sphærâ quos ponimus orbes,  
 Terrestris quoque sphæra tenet, nam corpora terræ  
 Cum fluvijs quoties, pelagique virentibus undis  
 Pingimus in mappâ, toties hos addimus arcus.

Sic

Sic geminique Poli, Tropicique; parisque diei  
 Arbiter Äquator sphærâ cernuntur in omni:  
 Parvaque respondent magnis, ingentia summis.  
 Quin humili in terrâ Phœbeæ effingere cursum  
 Lampadis, & motum per bis sex signa licebit.  
 Accipe non magnam, lœvemque Miesco tabellam,  
 Et super hanc orbem radio describe rotundum,  
 Quem scinde in partes vingtini, & quatuor æquas:  
 Orbis tum centro divisi gnomona rectum  
 Fige memor, planamque leva, cœloque tabellam  
 Erige, quot gradibus sub quo tunc exigis ævum  
 Se levat Äquator, Phœboque expone tabellam.  
 Ecce tibi gnomon projectâ ferreus umbrâ  
 Sinceram ostendet, cœlo quæ labitur horam.  
 Quippe Äquatorem, per quem sol currit anhelus,  
 In tabulâ effigiat pictus tibi circulus istâ:  
 Ferreus ast gnomon rectam qui projicit umbram,  
 Axis obit munus, circa quem volvitur æther.

Nunc te (sed verbis liceat rudioribus uti  
 Atque aliquid veteris metro tentare Lucreti)  
 Omnibus ex muris, declinent quomodo cunque,  
 Seu Boream spectent, atris seu nubibus Austrum  
 Hora sit in Cœlo quota noscere posse docebo:  
 Firmiter in muro figatur ferreus index.  
 Nulla tibi lex sit, vel regula quomodo figas.  
 Post ubi sol radijs murum perstringit, habeto

Ante

Ante manus quodcunque aliud, quod tunc tibi dicat  
 Horam germanam solis doctum instrumentum:  
 Annulus esse potest, vel mobilis axe Cylinder,  
 sive Quadrans, aliudve. Horam si quando docebit  
 Hoc Instrumentum, dictum mox inspice murum:  
 Hora sit exemplo tunc sexta, ubi desinet umbra  
 Gnomonis in muro, fac punctum, & scribe fluentis  
 Sub punto numerum sextæ, sic septima puncto,  
 Sic octava tibi & nona notabitur hora,  
 Et reliquæ. Lapsum post mensem sole micante  
 Rursus adi murum solers, & disce fluentem  
 Ex instrumento, veluti tibi diximus, horam.  
 Sexta sit exemplo rursum tunc hora, supremam  
 Mox umbram in muro quam projicit æreus index,  
 Puncto aliquo signa, nam alibi tunc desinet umbra,  
 Atque horæ numerum subscribes denuò sextæ;  
 Septima sic, octava, & nona notabitur hora,  
 Et reliquæ. Numero sibi respondentia puncta  
 Rectis connectes radijs: ubi scilicet ante  
 Punctum signasti sextæ, noviterque repertæ  
 Punctum iterum sextæ fecisti: isthæc duo puncta  
 Linea fac jungat rectissima. De tibi sextâ  
 Quæ dixi: reliquis quoque de currentibus horis  
 Dicta puta. Demum numeros appinge perennes  
 Horarum: Murus cum cœlo fœdus habebit,  
 Ferreus & gnomon dicet per sæcula tempus.


T

Hæc

Hæc super in Zonas magnum dispescimus orbem.  
Arctoo vicina Polo sicut prima, rigetque  
Frigore marmoreo, simul ac Antarctica torpet  
Zona perusta gelu: medium sol vertice toto  
Tangit, & ob nimium vix est habitabilis æstum.  
Sunt geminæ has inter moderato frigore Zonæ  
Temperie æterna, & miti regione locatæ.  
Altera, quæ Boreæ vicina est, arctica prisca  
Nomen habet, nos hac sub Zonâ degimus ævum.  
Altera nimbiferos Antarctica respicit Austros,  
Culta parum priscis, & solo nomine nota.  
Hæc Zonæ, quarum mappis est maximus usus;  
Europæ, atque Asiarum gestant, Lybiæque nigrantis  
Regna sinu. Niveam vexit per cœrula nympham  
Jupiter Europam, & Cretæis appulit oris:  
Inde ea pars mundi traxit de Virgine nomen.  
Ast Asiam Oceanus genuit pater, illa Promethei  
Japetidis fuit alma parens, furatus ab astris  
Qui flammam luteos animavit lumine truncos.  
Africa Maurorum male culta, & inhospita tellus  
Occasu Atlantem, Nilum prospectat ab ortu:  
Illi humano nequeunt mansuēscere cultu  
Estrenes populi, rarissima moenia condunt,  
Inque solent plaustris errantem ducere vitam,  
Carnibus humanis cœnant, atroque cruento.  
Sic ubi terrauei divisa est machina mundi,

Hæc

Hæc eadem in tractus, & Regna secatur, & urbes  
 Ista minora tamen facies nunc missa Miesco,  
 Prima rudimenta, & sphæræ elementa rotundæ  
 Discere contentus: nam quondam hausisse legendo  
 Cætera sufficiet, chartis si dummodo mentem  
 Intendas memorem: Regna, urbes, oppida disces.  
 Nunc est ire animus tecum meteora per alta,  
 Quid rutilum fulmen, quid venti, & saxeæ grando?  
 Frigore sub scopuli fulvum quæ flamma metallum  
 Excoquat? Undarum Nerêus cur monte tumescat,  
 Luna Polo dum plena micat. Post plurima dicam,  
 Herculeum magna tibi, cœcamque catenam,  
 Quâ sibi conjungit durum, sua pabula, ferrum:  
 Nec non ursinas se quomodo vertat ad arces?  
 His ægrum curis animum solare Miesco,  
 Amissique leva nimis invida fata Parentis.

T<sub>2</sub>

De

DE  
**BOLESLAO II.**  
**REGE POLONIAE,**  
**LIBER VI.**  
**ARGUMENTVM.**

*Hic Liber complectitur residuum Libri prioris. Boleslai post severam pænitentiam Divorum Cœlitum præsentia recreatus humunis excedit, & humatur Ossiaci.*

**I**gnis, & unda rapax, levis aura, pigerrima tellus  
 Semina sunt quatuor, quibus hic componitur orbis.  
 Carmine quem mulcent volucres, agitabilis aér  
 Regna tenet tria, terna rotat regalia sceptræ.  
 Infima prima plaga est, humili contermina terræ:  
 Vescimur hac aurâ, lucem bibimusque caducam,  
 Ducimus & vitam, vitamque reducimus haustū  
 Illius. Hæc pigræ, jam dixi, proxima terræ,

Infi-

o (sc) o  
 Infima nomen habet, nec enim aurea vertice tangit  
 Sidera, sed montes vix se sustollit ad altos,  
 Et nisū se tanta levar, Titania quantum  
 Spicula telluri semiusii impacta resultant.  
 Ast ubi non resilit Phœbeæ lampadis ardor,  
 Et calor emoritur vapidâ tellure retortus,  
 Altera mox regio, natū gelidissima sumpsit  
 Principium, medium veteres dixer, creandis  
 Cœli prodigijs fuit hæc aptissima semper.  
 Tertia suprema est auræ provincia, sceptrum  
 Hic regale tenet puro conterminus igni  
 Finitimusque faci solis liquidissimus àer.

*Quando suprema calet Phœbo propiore perusta,  
 Infima quando calet regio, cur frigore torpet  
 Quæ media est, dicas? Nunc mentem adverte Miesco.*

Omnis ab ingenio Naturæ est humidus àer,  
 Hinc amat obnixè, & sitiens quasi spongia potat  
 Quidquid aquam, spumamque sapit. Cratera Deorum  
 Se siccare putat, pigros crassosque vapores  
 Si terrâ levet, aut olidâ quâcunque lacunâ.  
 Postquam aciem ingentem, magnumq; examen aquarium  
 Ebibit, extinxitque sitim, nituntur in altum  
 Quas potavit aquas: rutili nam spicula solis  
 Dum feriunt terras, terrisque impacta resultant  
 Inferiore vetant undas regione morari.  
 Ergò plagam ad medium grex truditur iste vaporum

*Quæ*

Quæ plaga nec recto nimium, nec sole reflexo  
 Ferveat, immitem sed frigore temperet æstum.  
 Mox vapor hac mediâ Cœli regione receptus  
 Crescit in immensum, semper crescentibus undis,  
 Inficit & totum peregrino frigore cœlum.  
 Frigoris hæc causa est, media quod ni àeris ora  
 Stringit cuncta gelu, nubesque, & fulmina gignit.  
 Scilicet has vires dedit antiperistasis illi:  
 Cum sic obfesso pateat fuga nulla, nec infra  
 Hic vapor elabi queat, aut evadere sursum,  
 Multa animo volvit, curisque ingentibus ægram  
 Excruciat mentem. Sursum se tollere tentet?  
 Ipsa nocet gravitas, solisque repellitur igni:  
 Poscat iners iterum telluris viscera Matris?  
 Tela repercussi trudunt, sursumque repellunt  
 Tythoni miserum, Medijs sic hæret in auris:  
 Una salus partes glomerare, & cogere in arctum,  
 Dum sese in pluvias, & bruta tonitrua vertant.

Jupiter armato jam quomodo lumine nimbos  
 Dividat, ac telo nodosæ robora quercūs,  
 Et montes, turresque petat, tibi carmine promam,  
 Aëre scis media glomerari mille vapores,  
 Frigore qui septi se spissa in nubila cogunt.  
 Non tamen hi liquidas soli luctantur in arces,  
 Sed concreta nitro, & graveolentia sulphure tetro  
 Ad Superos terrena vehunt corpuscula secum,

Atque

Atque ea compingunt, clauduntque in nubibus atris.  
Hinc quoties feriunt terras Jovis arma, stygisque  
Ima petunt, toties latè loca sulphure fumant.  
Halitus ascendit siccus cum sulphure in altum  
Accendi facilis, nubique includitur idem:  
Ipsa autem nubes glaciali frigore sulphur  
Dat circum, nodisque ligat, mox halitus omnes  
Colligit obfessus vires, sulphurque propinquum  
Excitat in flamas, concreta repagula nubis  
Frigore marmoreo obsistunt, sed fortior ignis  
Perrumpit tandem gelidi durissima claustrum  
Marmora cum tonitrū, Cœlique ruente tumultu.  
Ista triumphalis vox est Pœana canentis,  
Nubila qui rumpit, ferrataque claustra, vaporis.  
Haud aliter videas, aut chare Miesco videbis  
Exilio ut redijt, Genitor si fulminat armis  
Obfessam ante urbem: vallo, aggere, milite, fossis  
Omnia cinguntur; portus, aditusque corona  
Undique clausa tenet, jam non datur exitus ulli.  
Illi intus pavidi nec quidquam circumspendant  
Auxilia, & spes nulla fugæ est, stant turribus altis.  
Fixum est, atque ratum certæ succumbere morti  
Fit via vi tandem, murisque erupit apertis  
Lecta manus jnvenum: ferro hi grassantur, & hostes  
Marte novo aggressi contundunt, quosque timebant,  
Obsidione premunt. Sic certant frigora cœlo

Sic

Sic obsessa ruunt, & sulphur, & ignis in arma,  
Obscuraque crient horrendum in nube duellum.

Quidquid in hoc mundo penetrabile frigus adurit,  
Illi adstringit latera, innodatque catenis.  
Immodicus contra calor omnia corpora solvit,  
Raraque membra facit. Cœunt sic fluminis undæ  
In glaciem, durum quasi sint à frigore marmor:  
Vere novo solis glacies percussa calore  
Solvitur & liquidas iterum laxatur in undas.  
Sic gelido intentat sulphur fera bella vapore,  
Duraque terribili perrumpit claustra fragore.

Quin etiam æstivo tellus dum sole calescit,  
Halitus assurgit purissimus, atque resectis  
Quæ sunt crassa nimis, cœlo minus apta levari  
Ipse Triumphator caput inter nubila condit,  
Supremaque capit cœli regione quietem.  
Halitus hic, veluti spirans à funere tæda  
Functa recens, fumat, mox vicinissimus igni  
Et levis, & siccus flamas quoque concipit idem.  
Proximus Ucalegon, meteoraque flammea gignit.  
Nam præter fulmen varias sortita figuræ  
Hæc meteora ignis vario quoque nomine gaudent.  
Cauma, Draco volitans, Capra saltans, pulchra Lacœna  
Trojani causa excidij, tristissima nautis:  
Pauca tibi super hoc referam (f. vet hora) Miesco.  
Cauma Polum latè gressu celerante pererrat,

Ceu

Ceu stipulas pastor flavo succendat in arvo:  
 Trabs trabis in morem tractu lecat æthera longo  
 Oecasumque, ortumque videt: Si recta nitescit  
 Lancea nomen habet, quondamque columna vocatur.  
 Protendit longam maculis fulgentibus alvum  
 Qui volat axe Draco, scintillat lumine venter  
 Igneus extremæ gracilescunt syrmata caudæ:  
 Invisum semper pueris, & matribus omen.  
 Æquora per Coeli saltat Capra vellere crispo  
 Circuit; & nitidis radiantia sidera gyris.  
 Rarius ista tamen meteora videntur in altis.  
 Cernimus interdum stellas velut æthere lapsas  
 Lucentem secuisse fugam sub nocte serenâ:  
 Astra Polo collapsa putat rude vulgus, & errat.  
 Halitus est, fursum qui nititur, atque repulsus  
 Frigore ab àériō resilit, rimamque micantem  
 Æthere describit medioque extingvitur axe.

Halitus est alter, lambens qui dicitur ignis,  
 Materies viscosa, pilis, & crinibus hærens  
 Quadrupedum affrictu celeres animatur in ignes,  
 Undique dissiliunt scintillæ. Hic pectine sola  
 Arma capit quondam, viresque acquirit eundo  
 Halitus: in tenebris pexos ardere capillos  
 Quippe vident multi, flammamque emittere suras  
 Hirsutas, quas ungve fricant sub tempora noctis.  
 Muribus infensus si contra vellera pellis

A criter ælurus mulcetur, profilit ignis,  
Ceu silicum tentes scintillam extundere venis.

Flamma parum sapiens, fatuam quam nomine dicunt,  
Nocte volat furcas, & coemeteria circum:  
Materies isthæc viscosa & pinguis, opacæ  
Noctis in ardescit tenebris; nam frigidus àer  
Circumstans igni partes intendit amicas.  
Innatat hæc auræ quasi pîscis in æquore, flamma  
Illiis & motu levis in latus omne movetur:  
Si sequeris? fugit illa, fugis? tibi proxima lucet,  
Et tua terga premit. Pigrâ quia nata palude est,  
Currentem ignavas mendax deducit ad undas,  
Ulvososque lacus, sub aquis ubi nocte coaxant,  
Atque paludicolæ recitant mala carmina ranæ.  
Seria multa dedi, nunc audi læta Miesco:  
Novi ego, qui serâ bene potus nocte rediret:  
Hic similem in tenebris quasi sit laterna micantem,  
Contuitus flamمام: Grates tibi Jupiter! inquit,  
His mihi qui densis vis lumen adesse tenebris.  
Ista meæ est Ariadna viæ. Contingere limen  
Ebrius haud poteram, certum super omnia carpo  
Denique nunc gressum. Quondam puto duxerat ista  
Numinis ad cunas Nabathæos stella Tyrannos.  
Sic fatus sequitur mendacis lumina flammæ;  
Dumque viam ingreditur piceâ caligine septam  
Stagna palustris aquæ tandem, coenunque subinrat  
Fœten-

Fœtentis lymphæ: limo pes hæret uterque:  
 Luctatur, neque fustis erat, neque pertica: clamat!  
 Omnia muta silent. Virides in gurgite ranæ  
 Excitæ somno veterem de more querelam  
 Ingeminant, plauduntque novus quod venerit hospes  
 In sua Regna, novo lacerari dignus Jambo.  
 Lurida, fæda, loquax, nigra, squallida, rancida pubes  
 Excorianda quidem, & veribus figenda! quid, inquit,  
 Obstrepis, & carmen maledictum rauca recantas?  
 Plaudere tu nostris turpissima casibus audes?  
 Sic me ventriloquæ sub aquâ lustante cachinnos  
 Tollitis, atque virum probris laceratis honestum?  
 Vos ego. Sed limo præstat me tollere turpi,  
 Atque putres pedibus geminis auferre catenas.  
 Hæc ubi dicta, manus in aquis huc tendit, & illue  
 Si modo quid prenset, si querni robora trunci,  
 Si tabulam aut remum veterem, tonsamque natantem.  
 Occurrit tandem truncatus ab arbore ramus,  
 Arripit hunc, omniq[ue] diu nixus manuum vi  
 Ranigenis emergit aquis, pes liber uterque  
 Ambulat, ast ocreæ limo mansere tenaci  
 Ac querulis spolium ranis, & præda fuere.  
 Sic fatu[rum] ludunt ignes, fessusque viator  
 Præcipites saltus, & inhospita tesqua pererrat,  
 Hac flammâ monstrante viam: s[ecundu]m alta latronum  
 Et corvis crocitata nigris infamia monstrat

Robora, quæis laqueo fures tolluntur in altum:  
Sæpe sepulchrales, ubi foeda cadavera, fossas  
Flamma volat circum, pîscinas sæpè lacusque  
Permeat, ac quærit vitæ sibi pabula dulcis  
Pinguis in stagnis, ubi prima exordia sumpsit:  
Sic natale solum recreat ducedine cunctos.

Nec mare velivolum caret ignibus, inque profundis  
Fluctibus errantes cernunt vaga sidera nautæ;  
Tempore quo micuere Poli, quo fulmina torquet  
Jupiter, & ventis furit intractabile cœlum.  
Vectores trepidi, & pallentes morte futurâ  
Vectorumque Duces pelago gladiantibus Austris  
Jactati, medijs haud raro fluctibus ignes  
Conspiciunt circum antennas, & aplustre vagantes.  
Felix omen habent, gemino si sidere lucent  
Hæ flammæ, Oebalij fratres, cum Castore Pollux  
Creduntur, bona signa ferunt prosperrima Ponti  
Numina: Sed si sola micat soror, Ilion ingens  
Cujus ob incæstos olim flagravit amores,  
Littoris optatum nautæ contingere portum  
Desperant, pallentque metu. Cœli aspera durat  
Insurgitque magis facies, Helena ista procellas  
Ventum, hiememque atram, gravioraque tela minatur  
Ingens materiem pontus dedit ignibus istis:  
Namque maris fundo sub tempestate sonora  
Halituum numerosa phalanx se tollit in altum,

Motu-

(S) o (S)  
 Motuque accedit sele: quin credere par est  
 Attritu, cursuque suo quasi somite flammam  
 Halitus ut capiat, corpuscula pingvia secum  
 Quippe vehit. Fax hæc si tandem immota resedit,  
 Ventorum signat requiem, pacemque sequestram;  
 Si vaga discurrit majores nunciat imbres.

Ast quandoque rubent, tristi dum lucida cœlo  
 Ambulat ira DEI, ferali crine cometæ.  
 Hi populi motus, hi Regum funera rubrâ  
 Præcinuere comâ. Decus immortale Sophorum  
 Magnus Aristoteles sub Lunæ cornua stellas  
 Crinitas posuit, sedemque negavit in astris:  
 Siderei tamen esse chori, & transcendere Lunam  
 Astronomi docuere novi: vix cernimus ullam  
 Quippe parallaxin mœsto radiante Cometâ.  
 Inferiore quidem multos regione vagari  
 Fama probat. Sic sæpe videt provincia stellam  
 Unica, finitimæ nequeunt quam cernere gentes.  
 Quin & sub Phœbi quidam transisse sorore  
 Atque illam radijs fertur spoliâsse Cometes,  
 Corporis objectu medij. Post cornua Lunæ  
 Si quis eat, magno halituum glomeratus acervo  
 In bene compactam stellanti corpore sphæram  
 Collucet; nam siccorum vagus halituum gress  
 Colligit in corpus sele, cui tergus opacum;  
 Sol illi oppositus radios depingit in illo

Ceu

Ceu speculi glacie: sic omnes luce reflexa  
 Ardescunt septem cœlo, radiantque planetæ.  
 Pallentes morbi, vulgata per oppida pestis  
 Atque lues pecorum, populi sine lege furentis  
 Immitis rabies, tempestas ferrea belli,  
 Regnorum excidia, & spumantes sanguine campi,  
 Exequiæ Regum tristes, cædesque Potentum  
 Sacrilegæ has stellas è tergo sæpe seqvuntur.

Nil ita divinum ingenio, mundique capacem  
 Torsit Aristotelem, quām quod vada glauca profundi  
 Littora deserere, & deserta reposcere cursu  
 Cernēret! æquoreâ sæpe ille resedit arenâ  
 Tristior, iratusque sibi, quia prodere causam  
 Nullam prodigiū nosset; Lucem ille perosus  
 Præcipitâsse dolens fertur se denique Ponto,  
 Atque Epiphonema hoc gelidis dixisse sub undis:  
 Qui te non capio, cape me Neptune volentem!  
 Lusisset fatum si salpa indocta fuisset  
 Magnus Atistoteles, pelagoque natasset aperto,  
 Surrexere alij, fluxum maris, atque refluxum  
 Conati obscurâ causarum educere nocte.  
 Grande animal mundum esse vetus Stoa censet, & undis  
 Immersum oblongi gestare proboscida nasi:  
 Hinc spirat quoties, liquidamque reciprocat auram,  
 Tollere aquas fundoque remittere dixit.  
 Ista quidem longum meruit sententia nasum.

Sunt

Sunt alij, Oceanus qui dicunt littora pulsat,  
 Ut sua vicino conjugat cærula sceptræ  
 Cum pelago, cernensque altas obsistere ripas  
 Indignans re legit passum, spumasque retorquet  
 Littus in oppositum, sic se repetitque, fugitque.

Censuit haud nemo, volucer quod spiritus insit  
 Oceano, vitreos qui montes tollit aquarum,  
 Quos agit ad ripas: hominum ceu corpora quondam  
 Incensæ vario jactantur bilis ab æstu.  
 Vexatus tamen ista gravi sententia morbo:  
 Nam legitur nusquam Neptunus febris æger  
 Decubuisse thoro, aut cholera cruciarier atrâ.

Tutores genios aliqui descendere Olympo  
 Et miscere salum, bibulæque allidere arenæ  
 Affirmant, veluti Piscina probatica mota est  
 Siderei manibus coelo labentis ephebi.  
 Sic ubi Naturæ desperant reddere causam,  
 Turpiter hi magni fugiunt ad Templa Tonantis.  
 Denique non pauci vasti rarefcere ponti  
 Marmora ab occulto sub terræ viscera clauso  
 Igne docent, bibulis & aquosa volumina ripis  
 Spargere, mox æstu cessante reducere semet.  
 Nativoque gelu veteres allambere fines.  
 Ast pelagi fluxus certâ se lege volutat,  
 Cùm tamen incertis exundent viscera terræ  
 Ignibus: hinc raro tremefiat maximus orbis.

Sunt

Sunt quorum non displicuit sententia nobis,  
 Atque aliquis nostrâ de gente Copernicus olim  
 Hæc magis excutiet; pigræ qui pondera terræ  
 Dicere non audent Mundi requiescere centro,  
 Sed dicunt, agitata velut sentina biremi  
 Jam proram exundans madido circumfluit imbre,  
 Jam puppim rediens foetenti aspergine tingit:  
 Sic terræ globus æquoreis ceu navis in undis  
 Ætheria regione natat, sentinaque Ponti  
 Adfluit, & refluit, surgitque, caditque vicissim,  
 Littora quæ damnat repetit, quæ diligit odit.  
 Nunc tibi, quæ paucis mea sit sententia dicam.  
 Omnibus hic fervor maris, observatur in oris,  
 Haud tamen æqualis: tumuit sic Adria fluctu  
 Littore quo surgunt Ducis alta Palatia magni,  
 Cæruleæ Venetûm qui sceptriger imperat urbi.  
 Littore in opposito jacet, & piger Adria dormit,  
 Curarum vacuus. Vix cœrula terga movere  
 Cernitur, & curvas aspergine lambere ripas.

Pacificus de pace trahens sua nomina Pontus  
 Exundat quoties, glaucos tenditque lacertos,  
 In bibula passus bis mille pererrat arena.  
 Insuper ad fauces fluvij, qui dicitur Indus  
 Brachia tres leucas sua porrigit Amphitrite.  
 Nec tumor iste vago fit tempore mensis & anni,  
 At triplici constans lunæ describitur orbe,

Jam

Jam vigil ausculta, mentemque adverte Miesco:  
 Quod mare se tollat, quod spumea littora pulset,  
 Causa soror Phœbi est, Moderatrix pallida noctis.  
 Imperat illa salo, & dominatur in humida vulgo  
 Corpora: Sic cancri, & conchylia lucida Ponti  
 Hac crescente tument, hac decrescente residunt.  
 Latonæ ad motu levat, attollitque Tridentem  
 Nereus, & vitreos exertat in æthera vultus  
 Captus amore Deæ: quidquid post viscera terræ  
 Undarum latet, in lucem protrudit apertam.  
 Quoque magis reparat cornu Dea noctis aduncum,  
 Hoc mage se fundo movet, atque examen aquarum  
 Littoreâ statione locat, famulumque Tridentem  
 Exerit, inclinatque Deæ. Sic illius astro  
 Se regit, & dominæ vestigia servus adorat.  
 Quare & Horizontem cùm primùm Delia nostrum  
 Conscendit, levat Oceanus quoque cærula terga:  
 Quoque propingua magis mediæ Dea menstrua terræ est,  
 Ille suas mage mittit aquas, truditque cavernis  
 Omnibus, undantesque globos ad littora spargit.  
 Scilicet ut ferrum magnes rapit, atque catenis  
 Illigat occultis: Sic te Neptune Diana  
 Nocte dieque trahit, Dominæque tumescis amore:  
 Hæc febris tua spumantum Regnator aquarum est.

Tethyos ast gnatas, neptesque ex montibus altis  
 Maturare fugam vitreo pede, perque profundas

W

Serp-

Serpere quis docuit valles ? evadere sursùm  
Quis facit in scopulos, & lambere culmen Atlantis ?  
Quis Nilum æthiopem Lunæ de montibus egit  
Præcipitem, atque Asiâ in magnâ quis Caucason altum  
Edocuit totis effundere flumina regnis ?  
Quin & in Europâ Rhenumque, Istrumque, Padumqué,  
Et Rhodanum àérijs quid cernimus Alpibus ortus,  
Flumina tot superas quæ causa levavit in arces ?  
Imbribus, & pluvijs multi cunabula debent  
Decidui fontes, ceduntque ubi cesserit imber.  
Quondam etiam in guttas concretus solvitur àér :  
Sic hiemante Polo gelidissima marmora vulgus  
Indoctum sudare putat, calidoque cubili  
Cernimus in vitreis stillas hærere fenestris :  
Hæc tamen æternos nequeunt producere fontes.  
Altera causa subest celsâ quæ rupe perennes  
Ejaculatur aquas: jam mentem adverte: docebo.  
Omnia rimatur DEUS ille Tridentifer, oris  
Omnibus insinuat sele, contoque trisulco  
Perforat occultos matris telluris hiatus:  
Nec tam clausa via est, quâ non extendere regnum.  
Ille velit, totique ferox dominarier orbi.  
Et sunt sub terræ latebris spatiofa vaporum  
Hospitia, immensique specus, quos ille tridente  
Dum furtivus adit, latitante calescit ab igne,  
Sulphure qui vivo, nitroque creatur ab acri:

Hinc

Hinc thermæ cupiunt genesin, Bajæque salubres.  
 Bullit aqua, & vapor alta petit, ferventis ut ollæ  
 Conspicimus superâ guttas hæcere patellâ:  
 Hic vapor impactus frigenti in fornice saxi  
 Densatur, liquidas seque resolvit in undas.  
 Mox undæ rimam inquirunt, & vulnus apertum  
 Exeli in scopuli venis, adituque reperto  
 Vertice persiliunt scopuli, saliuntque perennes.  
 Haud secus ac pictis de floribus halat odorus  
 Embrosiusque liquor, vitreο dum carcere clausi  
 Carbonum lento sensum exsuguntur ab igne.  
 It vapor, in guttas qui vertitur, atque canalem  
 Per vitreum stillat, genuinaque fontis imago est.  
 Sic guttas vapor, hæ fontem, fons flumina gignit.  
 Nympharum hæ cunæ, liquidas ex rupe choreas  
 Ducentūm, vitreæ sic emersere sorores:  
 Hoc etiam clauso generantur ab igne metalla,  
 Fornice sub saxi, vario quæ nomine gaudent.  
 Sol aurum, ferrum Mavors, cuprum alma vocatur  
 Quæ Paridi placuit Venus: ignea spicula torquens  
 Jupiter albentis sumpsit cognomina stanni:  
 Dicitur argentum vivum Cyllenius Heros:  
 Argento ab niveo stellis circumdata Phœbe  
 Nomen habet, tandem qui pignora dente momordit,  
 Plumbeus à plumbo Saturnus nomina traxit.  
 Nunc tibi quid terras cœco ruit impete dicam:

Lemnis ille Pater dijs immortalibus arma  
Cudere quem Fama est, sua quod tellure sub imâ  
Ignea sceptra rotet, nos Trinacris edocet Ætna,  
Territa sulphureas ructans ad sidera flamas.  
Quin & Campanus spatiosa ad moenia pulchræ  
Parthenopes piceas jaculatur in æthera nubes  
Sopius, & Stygio latè pluit imbre Vesevus.  
Nec non Parrhasiæ vultûs conterminus ursæ  
Ardet apex Heclæ, nivibus per sœcula tectæ,  
Quis tamen has cæco proritat fomite flamas,  
Quis semel extinctis animam dedit ignibus istis?  
Sulphur, & acre nitrum, Graveolentia sulphure tetro  
Sunt ibi, mordacique nitro rorantia saxa.  
Nam velut hibernæ sub barbara frigora brumæ  
Multæ riget circum salientem stiria fontem,  
Concretæque gelu dependent undique barbæ:  
Sal ita marmoreum, roransque è vertice saxi  
Omne latus cingit: Vulcano sulphur amicum  
Stat propè: sulphureum vix moverit aura lapillum  
Qui cadat, & silices turgentes sulphure tangat;  
Elicit impactus flammam, totisque barathris  
Fit fragor, & ruptis tempestas ignea claustris  
Cum tonitru effringit postes, cœloque remugit.  
Omnia quassa tremunt. Exterrita murmure tellus  
Dat gemitum, penitusque imis fremuere cavernis  
Finitimi montes. Ædes, turresque profundæ

Hinc

Hinc, illinc nutant dubiæ, pavimenta vacillant  
 Ebria sub pedibus, templi jacuere ruinæ,  
 Eversique Lares. Juvenes, timidæque puellæ  
 Decrepitique senes fugiunt ad rura paventes.  
 Ista quidem Siculo, & Campano in littore terrent  
 Indigenas trepidos: absorptas legimus urbes  
 Hoc fremitu terræ, turreisque, arcesque sepultas.

Sæpe etiam venti sub terræ viscera clausi  
 Sulphure quando specus, atroque bitumine plenos  
 Indomiti perflant, nitrolaque turbine saxa  
 Dejiciunt, flamمام ut capiant impacta per antrum,  
 Concussere plagas mundi, sonitumque dedere.  
 Hunc licet ex certis fremitum prænoscere signis.  
 Nuncia signa dabo: Putei si sulphure foetent:  
 Turbida per fontis si labitur unda canalem:  
 Si subito venti ponant immite furentes:  
 Si sine Caurorum flabris mare bullijt altum:  
 Bestiolæ specubus si quando exire videntur  
 Quæ nigrum coluere Larem, deguntque sub antris,  
 Signa sinistra ferunt, proprios fugiuntque Pénates,  
 Scilicet infernos jam percepere tumultus.

At placet optatam sermoni imponere metam,  
 Extremamque asserre manum. Jam decolor intret  
 In scenam Magnes, finem ponatque labori.  
 Non sua Lydorum lapis hic cunabula debet  
 Montibus, aut tellus illum magnesia tantum

Partu-

Parturit in lucem: tractu cœloque sub omni  
Nascitur, indomiti dum sint ibi semina ferri.  
Quippe viro forti Patria est quæcunque, nec æstum  
Hesperiæ ardentis, neque frigora Teutonis horret.  
Excipit & patiens Aquilonis flabra protervi.

Ut pueri matrum sugunt cum sanguine mores,  
Sic lapis hic patrias imitatur sæpe fodinas.  
Hic gravis, & solidis, levis hic, & pumicis instar.  
Saxa refert alibi: venas lucemque metalii  
Hic fibrat, à ferro vix ut dignoscere possis.  
Iste trahendo potens, contra nihil iste nec ausus,  
Nec potuit, propiorque chalybs licet adsit amicus,  
Nescit quid sit amor, nec amat, nec amatur ab illo,  
Sed stupet, ac dormit spoliatus lumine truncus.  
Ut chalybem, & ferrum magnes, sic docta virorum  
Ingenia, & calamos traxit, quæ tanta facultas  
Obscuroque vigor, virtusque sit indita saxo?  
Qui mundi ex atomis statuunt hoc grande theatrum,  
Aëre venari occultas, & prodere causas  
Posse putant, sed more suo perplexa loqvuntur,  
Ceu tenebris metuant pavidi deprendier atris.  
Hactenus ipsæ atomi res suspectissima doctis  
Infirمام meruere fidem: tantumque videtur  
Imposuisse atomos atomis, & condere mundum,  
Quantum si dicas facundus ut exeat Hermes,  
Nodosum propera truncum superaddere truncō.

Sistite

Sistite, & ingenij properantem claudite rivum.  
 Plurima nos Natura docet, causasque latentes  
 Cimeria sub nocte premit, cœcisque cavernis.  
 At nos causarum muscas venamur inanes,  
 Atque supervacuis præbemus pabula curis.  
 Sunt flammam quæ concipiunt, blandique furoris  
 Vulnus alunt venis: secum sunt altera bellum.  
 Quæ moveant, & naturâ dictante magistrâ  
 Æternis certant odijis. Sic callidus olim  
 Furum Præceptor, cuius sub sidere longis  
 Ungvibus esse ferunt puerο, caducifer Hermes,  
 Ille fugit flamas, & amoribus uritur auri:  
 Dicite quid causæ est? auri quis nescit amicum?  
 Quin simul humani Capitolia scanderé visus  
 Ille fuit cerebri. Vanis se pingere fucis  
 Ausa puella fuit: pigmentis addere vivum  
 Argentum didicit. Mors sustulit atra puellam  
 Ante diem: medicis reserantur crania cultris;  
 Ecce caput, cerebrumque dolens, plenumque fugacis  
 Mercurij fucis mixti, post fata repertum!  
 Dicite quid causæ est: Atomi? sic vendere fucos,  
 Pro vestrīs posthac atomis, fumosque licebit.  
 Plura locuturos intercipit, atque Magistri  
 Sermonum abrumpit medium conclavia Rector  
 Pannoniæ ingressus: de quo jam dicitis, inquit,  
 Mercurio? DEUS est. An amoribus uritur auri?

Forte

Forte auro Superis venalis in æthere merx est.

Si meruere fidem nigra somnia, somnia vobis  
 Insperata fero, non hæc mihi nocte soporam  
 Concutiens virgam vester dictaverat Hermes:  
 Ex astris simulacra puto delapsa, loquentis  
 Quosque sonos hausí Divos docuisse recordor.  
 Cursibus emeritum jam sol exercuit annum  
 Ex quo fugit abhinc, haud nescis chare Miesco,  
 Regius excessitque Parens: super ista secundum  
 Cynthius exegit revolutis mensibus orbem.  
 Nemo Patris nos fata docet, rumoribus aures  
 Insanis plebs stulta ferit: neque consona Fama  
 Ipsa sibi est. Tu fata Patris jam certior audi.

Nocte Boleslaus, neque vultus linea fallit,  
 Visus adesse mihi. Lacrymis cur ora Miesco  
 Mœsta rigas? Solare animum: tua vita revixit,  
 Et mea! Quin coram, neque me terrebat imago,  
 Visa loqui, & curas animo deponere jussit.  
 Regio terge oculos hospes, tua gaudia vidi,  
 Et mea: quem tecum lugebam funere mersum  
 Vivit, & hac lucis jucundâ vescitur aurâ.  
 Nulla mihi imponunt timidæ ludibria noctis.  
 Pigri stagna lacūs gemino confinia monti  
 ( Si modo si nomen Regionis nosse liceret! )  
 Ante oculos sunt picta mihi, specularibus undis  
 Intonsi montes, scopulique innare videntur.

Haud

Haud procul à ripa stant antiquissima claustrum  
 Mœnia, stat turris dirimitque cacumine nubes,  
 Atque solum latè, & virides circumspicit undas,  
 Cœnobio in medio fons ejaculatur aquosos  
 Argenti radios, & circinat irida guttis.  
 Hic ego rurali cultu, grossaque lacernâ  
 Contectum vidi manifestâ in imagine Regem.  
 Ridebat vultu placido, mentisque serenæ  
 Signa dabat: calathum dextrâ quem fortè tenebat  
 Mollibus implevit lactucis, atque culinam  
 Ingressus fuerat: cineres animare sepultos  
 Post hæc, atque foco disponere ligna calenti,  
 Et lances vidi, & pateras, gabatasque lavantem.  
 Aut coquus, aut olitor, dum nomina regia prudens  
 Dissimulat, crimenque dolet, cædemque peractam,  
 Eligit esse parens. Talis mihi sæpe recursat,  
 Alloquor & quoties, toties vultum ille retorquet  
 Atque stupet muto similis. Nox vincula lingvæ  
 Laxavit tandem, Regemque hesterna loquentem  
 Luna mihi objecit; sic ora resolvit imago:  
 Quid tacitum Rex mœstus alis sub pectore vulnus,  
 Ceu manibus periisse meis, aut præda molossis  
 Ipse fuisse ferar? Regno temeraria circum  
 Fama volat, Lechicas eadem quoque personat urbes,  
 Vanaque venduntur scriptis mendacia chartis,  
 Rumorum securus ago, vacuusque malignæ

Jam pridem famæ, quæ sunt cœlestia tracto.  
 Sedibus hortatu Superum non cognitus istis  
 Hæreo. Quis Regem obscurâ lodice latentem  
 Observet? claustrî spiro bene tutus in umbrâ.  
 Impiger hic placo lacrymis quæ Numinæ læsi,  
 Suntque mihi lacrymæ Divum mage nectare dulces.  
 Vivo animi felix, nec abhinc mea Regna videbo;  
 Sceptra, tiara, throni, victoria, Fama valete!  
 Hoc precor: immitti gnatum mœrore jacentem,  
 Nomine Rex solare meo, & tua visa recenze.

Hæc mihi concubiae sub nigra silentia noctis  
 Prodidit in somnis Genitor tuus: omnis abesto  
 Jam metus, & curas trans pontum mitté Miesco.  
 Contentus Rex sorte suâ est: quid poscimus ultrâ?  
 Quam plaga Pannoniæ, quam Sarmatiæ ora negavit,  
 Terra dedit profugo tandem peregrina salutem.  
 Ista fuit Superis in Cœlo credo voluntas.  
 Irridet facile mendacis gaudia mundi,  
 Desilit & solio, luxumque perosus, & aulæ  
 Illecebras, tacitæ sectatur commoda vitæ,  
 Quem semel amplexus favor est miserantis olympi.  
 Plaude Boleslæ, & fortunam humana rotantem.  
 Calce preme! hoc meruit: sic risum solve jocantis;  
 Fallere fallentem, ludentem ludere par est.  
 Gloria quid tandem, qui magni Nominis umbra?  
 Sunt larvæ fortuna tuæ. Quid marmora gestis

For-

Fortibus, atque foro fundantes ære columnæ?  
 Quid pompæ, & ludi, & mensæ, nugæque Theatri?  
 Omnia tecum aufert tandem nigra Regibus hora,  
 Omnia sorbet humus. Virtus nos unica Divis,  
 Sideribusque pares facit, hæc post funera durat.  
 Felix qui potuit, Rex maxime, dicere tecum:  
 Aula vale! Fortuna vale! Spes, Fama, Triumphi,  
 Et populi plausus, & vitrea fracta valete!

Talibus alloquijs mulcet, verbisque dolentem  
 Eredit Hungariæ Rector, præstare Parentis  
 Officium gaudens, & vivam cernere Regis  
 Effigiem in gnato. Neque spes frustrata fefellit.  
 Nam roseum casto juvenem Tritonia Pallas  
 Excepit gremio, & quantum pollebat acuti  
 Viribus ingenij, tantum quoque mascula virtus  
 Et vigor accedit juvenilia pectora flammis.  
 Bellonæ studijs durare ante omnia dextram,  
 Exemplo Patris, ardentes contemnere soles,  
 Alpinasque nives, venatu in saltibus atris  
 Explorare feras, fluvios tranare minaces,  
 Eniti in scopulum, fossam transmittere saltu,  
 Flectere cornipedem, & mandentem spumea morsu  
 Frena manu facili tractare, inhibere volantem,  
 Mox in pulvereo stimulatum effundere cursus,  
 Nobilis ardor erat juveni: Post terga reliquit  
 Ille Notos celer, & quasi torta volabat arundo,

Vix per aperta fugam levis ungula signat in herbâ,  
 Doctas quin etiam regnandi exhauserat artes  
 Jam docilis sceptrum, & curas tractare seniles.  
 Atque ubi Pannoniâ jam pridem vixit in aulâ  
 Regius hic hospes, tandem se sede recepit  
 Quâ cessit patriâ; Procerum populique faventis  
 Plausibus exceptus, thalami tum foedera junxit.  
 Sortis at invidiâ steriles expertus amores  
 Mutavit thalamum tumulo. Sunt tristibus herbis  
 Qui periisse velint, fraudesque bibisse veneni.

Jamque Boleslaus plures exegerat annos,  
 Atque luit lacrymis cædis monumenta nefandæ:  
 Tum rerum Sator, astra Poli qui Numine torquet,  
 Resque humiles hominum, casusque & fata maligna  
 Temperat, hoc Regis tandem mitescere luctu,  
 Atque odia, & stricti deponere fulminis iras  
 Incipit. O lacrymis, o vis est quanta dolori?  
 Placatum facit ille DEUM, fontesque, reosque  
 Efficit innocuos: missos dolor iste rebelle  
 In caput extinguit, sedatque potentior ignes.  
 Fulminis oblitum reddit Metanæa Tonantem.  
 Orârunt ipsi veniam pro Rege vocati  
 Cœlicolæ, & Virgo Moderatrix aurea cœli,  
 Numinis alma Paren, toties quam poplite curvo  
 Rex coluit, totasque vigil cui sæpe gemendo  
 Exhausit noctes, sic ora precantia solvit,

Voce

Voce agressa DEUM: Tristem me ferre repulsam,  
 Sangvis Gnate meus, solum spes unica, Matrem,  
 Num patiere tuam? Supplex tua Numina posco,  
 Parce Boleslao dudum sua criminā flenti,  
 Parce precor! Satis est. Lacrymas memor ille peracti  
 Sat fudit sceleris: pridem se sponte dicavit  
 Obsequijs claustrī; pulsis melioribus annis  
 Canities ægro, pejorque aspergitur ætas,  
 Et fracti titubant, baculo quos sustinet, artus.  
 Quot miser exiliij ærumnas, quot probra voravit,  
 Quæ grex lixarum petulans vibravit in illum?  
 Nunc ubi deficiunt vires, da morte resolvi,  
 Claudere da placido fugientia lumina somno.  
 Dixerat hæc Mater. Votum & suspiria Matris  
 Audiit Omnipotens. Regalia corpora languor  
 Occupat, & vires decerpit lurida febris,  
 Continuò fugit ore color, requiesque laborum  
 Somnus abest oculis, stomacho sunt nausea mensæ;  
 Sola sitis torret nulloque extinguitur haustū.  
 Hæc super & capitisque dolor, pressisque tumores  
 Pectoris accedunt, & siccus anhelitus oris.  
 Ista fuit Regis lethum meditantis imago.

Philtra quidem Antistes claustrī, succosq; medentum  
 Mista suis manibus prostrato porrigit ægro:  
 Et dolet, & morbi non sat se discere pestem  
 Nutibus ex solis queritur, tristisque jacenti

Affl.

Assidet: Interdum perquirit murmura venæ,  
 Quæ jam rara notat, neque consona. Filius, inquit,  
 Es necis. O pro te famulantū tota periret  
 Pigra, gulosa, crepax, secreti prodiga pubes!  
 Quisquis eras, pro te servos ego mittere vellem.  
 Mille equidem: nec enim fuerat mihi charior ullus,  
 Nemo ministerijs claustrī fuit aptior alter.  
 Sed mens alta DEI, Sic fiat, ut imperat ille:  
 Nemo resistet ei. Pulso mœrore serenat  
 Vocibus his vultum, lethi Rex signa propinquī  
 Percipiens. Stupet Antistes, medicosque Syrups  
 Vim morbi domuisse putat, sed gaudia Regem  
 Altera perfundunt, animumque attolere cœlo  
 Læta jubent. O mors, melioris janua vitæ?  
 Curarum æternus sopor! O caritura tumultu  
 Tempus in omne quies! bello pax nescia rumpi!  
 Lætitia exilaras inopes, littusque dolorum  
 Omnibus es miseris: Virtus si dummodo vitæ  
 Est comes, arcanus neque rodit pectora vermis.  
 Spes rata tu cœli, tu votum, & meta piorum es;  
 Quæ certam imponis victoribus ultima laurum!  
 Te solam morbi medicam Rex æger anhelo.  
 Ista Boleslaus tacitâ dum mente volitat,  
 Integer Antistes limen, stratumque jacentis  
 Deseruit. Rex membra levat, viresque labantes  
 Colligit, & pictæ gressu titubante tabellæ

Fit

Fit propior, tabulâ fuerat spectabilis illâ  
 Siderei Regina chori, spes certa, salusque  
 Languentum, & felix semper morientibus omen.  
 Hanc Rex vicinâ jam morte humentia figens  
 Lumina in effigiem, neque vultum ab imagine vertens:  
 O Domina! O Mater seros mihi culta per annos,  
 Ærumnas solata meas, longique labores  
 Exilij in somnis mihi visa, & sæpe locuta,  
 Sæpe die, dum solus eram dignata favore  
 Alloquij me Diva tui: fata ultima tandem  
 Nunc urgent miserum, pede vix fluet hora fugaci,  
 Funus ero exanime, & corpus sine mente jacebo.  
 O Domina! extremo dum spiritus ore natabit,  
 Fac mihi sis præsens, neque me mea desere Mater.  
 Digna parùm fateor placandæ Numinis iræ  
 Poena fuit, nullique lavent tot crima fontes.  
 At quia jam gelidus fluit hæc per tempora sudor  
 Vitaque jam. Nec plura sinit me dicere languor:  
 Virgo vale! his dictis conspersum sanguine multo  
 Rex capit ex cistâ, quod pridem verbera tergo  
 Sæva dedit stellis armatum triste flagellum:  
 Extremi ulturus sua crima verbere flagri.

Aureus ast juvenis volat ecce citatus olympos,  
 Tu fulmen ruere axe putas, tortamque sagittam.  
 Illius adventu radiare domuncula parva  
 Lumine sidereo, tectumque ardere videtur.

Eximit

Eximit ille manu flagrum, Regemque labantem  
 Sustentat, tollitque humeris, stratoque reponit.  
 Mox ruit alter ab æthere pictus ephebus, & ægro  
 Pulvillum sternit capiti, vultumque pererrat,  
 Et guttas tergit gelidas, tum nubis odoræ  
 Svaviter halantis recreat dulcedine nares,  
 Et thuris lacrymas spiranti exurit acerrâ.  
 Vix satîs iste fugâ celeres exercuit alas,  
 En glomerata phalanx tectum discindere visa:  
 Instrepit, & pennis volitantum sibilat aér.  
 Ingressi exiguoś Diī, coelicolæque Penates  
 Ornati adsistunt Regi, stratumque coronant.  
 Rector Sarmatiæ Casimirus regia dextrâ  
 Sceptra gerens, nodoque comas stellante revinctus  
 Primus adest. Regis genitor fuit ille, vocatusque  
 Ex clauſtro ad Regnum polijt virtutibus aulam.  
 Firmavit pietate thronum: Stat proximus illi  
 Sacrorum Antistes Phœbo radiantior ipso  
 Fronte Stanislaus placidâ. Pulchro agmine Divi,  
 Ipsiisque cœlestûm Dea, Regia Mater ab alto  
 Lapsa venit, simul ac properat Benedictus, & ulnis  
 Complexus Dominam ad clauſtrum, & sua limina ducit.  
 Quot portâ excepit lectos casa parvula Divos,  
 Tot soles radiare putes, aciem haurit utramque  
 Sauciaque absorbet divinus lumina splendor.  
 Tum Regina Deūm sic Regem affata jacentem:

Surge

(5) o (5)

177

Surge animi! finita tua est jam poena. Favors  
Et veniam quam poscis, habe! Me saepe vocasti  
Matrem gnate tuam: Suscepi dulce Parentis  
Officium, Materque fui. Quin criminis obses  
Pro te mille preces irata ad Numina fudi.  
Audijt orantem qui quondam hæc ubera suxit,  
Meque suam omnipotens dignatur dicere Matrem.  
Audijt, & nigræ delevit nomina culpæ,  
Oblitus scelerum. Miseræ nunc ultima vitæ  
Hora fluit: Morti jam te compone propinquæ.  
Dixit, & adjecit Dea plurima; pendet ab ore  
Illijs, & totam Matri Rex commodat aurem.  
Ipsi etiam occultos miscent bene tempore longo  
Sermones Superi: quin ægro basia figunt,  
Contrectantque premuntque manus, risuque beato  
Svaviter invitant moribundum ad sidera Regem.

Interea morbi quæ sit fortuna requirit  
Antistes, reseratque fores, venamque jacentis  
Explorat Regis: vicinæ occurrere morti  
Si queat, & Medices haud tentet inaniter artes.  
Ast vapor ambrosius, lucis quoque splendor ab alto  
Defluus, & citharæ, citharisque fluentia mella  
Nectareique soni procul ab ripuere stupentem,  
Atque pium fixere senem: stat, & hæret in uno  
Territus obtutu, ceu sit Marpesia cautes.  
Mox alij ingressi cœli manifesta monentis

Prodigia, atque soli fremitum stupuere paventes.

Hæc super elinguem populus quem credidit omnis  
Incipit effari, & fracto Rex gutture trudit.

Ultima jam labijs cum morte natantia verba:  
Rex ego Sarmatiæ (capit. has quasi saxeæ voces  
Turba effusa thoro, gemitumque dat ore gelato)

Colla Stanislai de me nil tale merentis

Qui secui. Fidei sit regius annulus iste

Tessera! fulgentem peregrino lumine gemmam

Porrigit his dictis Wernerò, & pignore Regem

Testatur: Potuit neque plura edicere, captum,

Sed subito posuit Letho caput: alma recessit

Lux oculis, abijtque in vanas spiritus auras,

Regia membra premit fugiente rigentia vitâ;

Serpere jamque gelu, Letho pulsante calorem,

Per corpus notat Antistes, gemituque profundo,

Frigidus ergò jaces, tua rupit & ultima verba

Fatalis morbi sopor! ah cur tempus avarum

Plura audire mihi, tibi dicere plura negavit?

Heu mora! cur ad te non ocyor ipse volabam?

Cur tibi non aderam? Melior me linea vultûs

Decepit, speciesque tui. Consurgere morbo

Jurabam: tales te spes mihi credula finxit.

Ah quām vana mei fuerat fiducia voti!

Haud tamen omnino me decipit, atque beata

Fraude ignotus abis. Cœlo tua gloria nota est:

Atque

(S) o (S)

Atque eadem has nostras olim quoq; venit ad aures.  
 Audacis titulos celebris tibi fama dicavit,  
 Dexteraque insignis bello: tu Marte Bohemos,  
 Hunnosque, & magni fregisti Cæsar's arma.  
 Septima te in castris, & pellibus horruit æstas.  
 Talis eras, nostrisque etiam memoratus in oris  
 Posthumum circumfers longinquæ præmia Famæ.


Quid tamen armorum crudelis adorea forti  
 Menti æquata tuæ? virtus tua celsior ibat  
 Quo nunquam rigidi pertingent tela Gradivi.  
 Sponte tuâ duro exilio, fusoque piaſti  
 Sangviñe cum lacrymis mixto tua crimina, raro  
 Regibus exemplo. Quoties sub nocte soporâ  
 Culta tibi fuerat, famulûm spectante catervâ  
 Poplite curvato, divinæ Virginis Icon?  
 O quoties dubiæ furatus tempora lucis  
 Primus eras templo, & totâ fors nocte calentes  
 Spargebas lacrymas, dum lutea surgeret Eos.  
 Tu piger antiquo servorum more vagari  
 O nunquam, imperijsque meis obſistere: constans  
 Sed servare domum, quin & parere minorum  
 Vocibus, & lances, ollasque levare nigrantes,  
 Ligna humeris ſufferre, focumque animare solebas  
 Heu nimium felix animi, lætusque laborum!  
 Huc tua progressa est regalis gloria dextræ,  
 Nunc adeò, quoniam Cœlo parere necesse est,

Divide nobiscum claustrum commune sepulchrum;  
 Et quia Hyperboreus quondam tua Regna tenebat  
 Cuncta gelu stringens Aquilo, Sanctissime Princeps,  
 Quā se porta aperit templi, septemque Triones  
 Aspicit, hāc cōclī patrij regione quiesce,  
 Et carpe emeritum templi sub pariete somnum.

Post hāc exanimi repetita dat oscula Regis  
 Plurima conspergit, frangitque senilia corda  
 Lucida gutta sinum. Simul ultima basia figunt  
 Affusi strato Monachi. Vix credidit ipsis  
 Luminibus pia turba suis: centonibus istris  
 Conteūtum latuisse stupent, lambuntque jacentis  
 Ora manusque Ducis. Totum lux verterat ista  
 Ossiacum in lacrymas: nequeunt satiare videndo  
 Lumina: quā redeunt properant, noviterque cadaver  
 Inspiciunt, redeuntque iterum, noviterque recurrent.  
 Præsulis imperio Regalia corpora tandem  
 Abscondunt tumulo, tumulo imponuntque coronam.  
 Et pomum, & sceptrum. Fortunæ, maxime Princeps.  
 Dignus eras meliore rotâ! Te perdidit illa,  
 Præsul ait moestus. Felix tamen atque beatus  
 Cui scelerum licuit lacrymis extingvere Famam.  
 Non hoc pervolitat nigris infamia pennis,  
 Sit licet exiguum, neque dignum Rege sepulchrum.  
 Jamque tuum incidam nomen, saxumque notabo  
 Carmine, Posteritas leget hoc post sœcula carmen.

Sifte, Boleslai cineres & Busta Viator  
 Qui premis: hoc Audax gelido sub marmore dormit.  
 Audacem si calce premes, tumulo ille resurget,  
 Teque petet ferro, quo pridem ad Tartara misit  
 Agmina mille virum, Reges domuitque superbos.  
 Unica victorem prostravit semina tandem,  
 Femina Diva tamen: nec enim mortalibus armis  
 Mars tantus superandus erat. Vis nomina Divæ?  
 Fortuna est. Illam risuque, jocisque faveantem  
 Jungere dum sibi vult, odium, invidiamque puellæ  
 Et triste exilium meruit, turpemque repulsam.  
 Ossiaci tandem sanctâ securus in umbrâ  
 Delituit, rursusque Deam sibi sensit amicam:  
 Cum tamen instabili diffideret omnia Divæ,  
 Se, sponsamque petram moriens allisit ad istam:  
 Fusa vitro fragili scopolis allisa sepulchri  
 Vitrea fracta jacet Dea: ferreus imminet illi  
 Ultor, & infidam magno pede proterit Audax.

F I N I S.



## СЕМЯ

